Roquette. 1861. De Xenophontis vita

DE XENOPHONTIS VITA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ALBERTINA REGIMONTANA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XX. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXXXIV

HORA XI

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS PUBLICE DEFENDET

ADALBERTUS ROQUETTE

REGIMONTANUS.

ADVERSABUNTUR:

FRIDERICUS GREGER, CAND. PHIL.
GEORGIUS LAU, CAND. HIST.
GUSTAVUS WAGNER, DR. MED.

REGIMONTI BORUSSORUM.
EX OFFICINA LEUPOLDIANA.
MDCCCLXXXIV.

Herrn Professor Dr. Roh.
hochachtungsvoll überreicht
vom Verf.

FRANCISCO RUEHL

SACRUM.

Duae nobis de scriptoris alicuius vita disputare aggredientibus partes quaestionis obferuntur. Primum enim ea, quae et alii scriptores et ipse ille de sua aetate et rebus gestis tradiderit, colligenda atque inter se comparanda sunt, tum in tempora, quibus libros composuerit, inquirendum est. Nam si altera via eo quo volumus pervenire non possumus, altera saepe eo deducimur. Quamobrem ego quoque de Xenophonte Atheniensi disserturus hunc ordinem sequar. Atque prima libelli mei parte nova quidem pauca a me explorata esse nemo mirabitur, qui quot homines docti iam in his quaestionibus solvendis elaboraverint, meminerit; itaque colligenda magis fuerunt, quae disiecta iacebant, refutanda, quae parum probabiliter disputata esse videbantur. Altera vero parte de librorum temporibus disputaturus cum vestigia aetatis adhuc indagata sufficere non viderentur, ad argumenta ex genere dicendi ducta confugiendum esse censui. Quam viam cum Dittenbergerus laudabiliter inierit, illum sequi eiusque sententiam examinare malo quam nova ignotaque temptare. Quare cum ille de particula μήν docte arguteque egerit, reliquis quae sunt in Xenophontis scriptis particulis collectis, nec non ceteris aetatis testimoniis retractatis atque excussis, quibus temporibus singuli libri compositi videantur, constituere conabor. Confiteor autem, non omnia adhuc ita constare, ut nulla dubitatio relinquatur; tamen hunc libellum non plane immunem atque asymbolum ad largas litterarum dapes accessurum esse spero.

Quae ab hominibus doctis de re proposita publici iuris facta sunt, iis quantum potui omnibus colligendis operam dedi. Tanta tamen libellorum commentationumque

per annales ephemeridesque dispersarum copia est, ut nihil praetermissum esse contendere non ausim. Itaque siquid neglectum est, quod ad rem pertinere videatur, ut legentium veniam impetrem oro.

Finem vero praefandi facere non possum, quin Francisco Ruehl V. D. gratias agam quam maximas, qui non modo animo lubentissimo studiis meis fovit, sed etiam quae ipsi obiter has quaestiones tangenti sese obtulerant, summa liberalitate mecum communicavit.

I.

§ I. De Xenophontis vitae fontibus.

Quae de Xenophontis vita cognita habemus, ea, si non ex ipsius Xenophontis scriptis ac praecipue ex Anabasi repetuntur, omnia fere ex Diogene Laertio manaverunt, cum, quae praeterea a Strabone, Pausania, Macrobiorum scriptore adferantur, ea aut levissimi momenti aut omnino fide indigna sint. Itaque unde hausta sint, quae Diogenes vera falsis, maxima minimis commixta exhibet, breviter respiciendum erit. Atque spinosam illam diffusamque quaestionem, quae est de iis libris, quos potissimum ille excerpserit, denuo instituere libenter mitto[1]), cum quo ex fonte Xenophontis vita, quam ille II 6 narrat, originem ducat, iam non ignoremus. Cum enim Dinarchi *ἀποστασίου (λόγον) πρὸς Ξενοφῶντα* Diogenes laudet (II 52), quam orationem Dionysius quoque Halicarnassensis intellegit, cum Dinarchum *Ἀποστασίου ἀπολογίαν Αἰσχύλῳ πρὸς Ξενοφῶντα* composuisse dicat (de Dinarch. c. 12), egregie Grotius (Hist. of Gr. IX 246, n. 2) hac ex oratione contra nepotem fortasse Xenophontis scripta multa fluxisse coniecit, quae in Diogene leguntur. Quam Grotii coniecturam Wilamowitzius

---

1) cfr. Nietzsche Mus. Rh. XXIII 632 sqq., XXIV 181 sqq., XXV 217; E. Maass, De biographis graec. quaest. select. cfr. Wilamowitz, Ep. ad Maassium (Kiessling et Wilamowitz Philol. Untersuch. III 1 et 148.); Wilamowitz, Antigonos von Karystos p. 330; Diels, Doxographi Graeci p. 161 sqq.

repetivit auxitque (Antig. v. Karyst. p. 331 sqq.), qui singula tamen parum probabilia attulit, quae infra suis locis perlustranda erunt; hoc loco pauca de Dinarchi oratione dicenda sunt. Quam quidem non contra Xenophontem, Cyreorum illum ducem habitam esse (quae Schneideri fuit sententia epimetr. Anab. p. 573 nec non H. Sauppii O. A. II 338) ex ea re satis apparet, quod Dionysio Halicarnassensi teste Dinarchus non ante a. 336 causas dicere coepit (de Dinarcho IV 638; cfr. Blass Att. Bereds. III 2, 263), sed Aeschyli accusatorem illius propinquum fuisse constat, cum Dinarchus vitam eius breviter enarraverit. Quo vero necessitudinis vinculo cum illo iunctus fuerit cum traditum non sit, nesciendi arte nobis utendum erit. Neque enim quod Grotius coniecit, qui eum Grylli filium fuisse censuit (Hist. of Greece IX 246 n. 2), neque, quod Wilamowitzius affirmavit, qui Diodori eum filium fuisse dicit (l. l. p. 332), certis argumentis probari potest, neque si quis eum sive Grylli sive Diodori nepotem fuisse coniciat, video quomodo refutari possit.[1]) Neque magis qua de causa Xenophon ille Aeschylum in ius vocaverit, constat; ἀποστασίου enim cum non minus ii accusarentur, qui liberti dominis officia non praestitissent, quam qui servi ingenuos se esse mentirentur (Gilbert, Gr. Staatsalterth. I 169, n. 1), utrum sive Aeschylus sive pater eius aufugerit an de Xenophontis domo bene meritus (fortasse in ipso illo discrimine, cum Scillunte aut obsessa aut expugnata filii μετ' ὀλίγων οἰκετῶν ὑπεξῆλθον εἰς Λέπρεον. D. L. II 53) liber-

1) Per filiorum aetatem fieri potuit, ut Dinarchus, qui a. 307 Athenis expulsus est (Droysen, Gesch. d. Hellenism. II 2, 119), orationem contra pronepotem Xenophontis habendam componeret. Fac enim circa a. 397 Gryllum natum esse (cfr. § 5) atque cum tricesimum annum ageret, filium genuisse, qui eadem vitae aetate Grylli nepotem genuerit, hic a. 308 viginti novem annos natus fuit. Sed apud Graecos saepe multo iuniores homines uxores duxisse nemini ignotum est (cfr. Hermann, Gr. Priv. Alt. ed Bluemner p. 36, n. 1.). Ex Diogene hac in re argumentum nullum ducendum est, cum Grylli filium omnino non commemoret, Diodoro post pugnam Mautinensem filium natum esse dicat, a Gryllo fratre appellatum (D. L. e. II 54).

tateque donatus postea ingratum se praestiterit, iudicium ferre non possumus. Id unum fere pro certo habere licet, Aeschylum ex Dardaniis illis captivis, quos a Phylopida Spartano Xenophonti missos esse Diogenes II, 53 refert, ortum fuisse, cum qua alia causa commotus Dinarchus huius rei mentionem fecerit, non perspicuum sit (cfr. Wilamowitz Antig. v. Kar. p. 331).

Quae deinde de Cyri expeditione atque de decuma a Graecis Dianae facta Diogenes exhibet (§§ 49 — 52), ea ex Anabasi potissimum repetita esse apparet. Aliunde vero haec fere inserta sunt: *φίλος ἦν Ἀγησιλάῳ εἰς ὑπερβολήν — παρ' ὃν καιρὸν ἐπὶ λακωνισμῷ φυγὴν ὑπ' Ἀθηναίων κατεγνώσθη. — καὶ αὐτῷ προξενίαν ἔδοσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι. — εἵπετο δ' αὐτῷ καὶ γύναιον ὄνομα Φιλησία, καθά φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης, καὶ δύο υἱεῖς, Γρύλλος καὶ Διόδωρος, ὥς φησι Δείναρχος ἐν τῷ πρὸς Ξενοφῶντα ἀποστασίου, οἳ καὶ Διόσκουροι ἐπεκαλοῦντο.* Quae ex Dinarcho fluxisse probabilissimum est. (Wilamow. l. l.)

Praeter Dinarchum Demetriumque Magnetem (II 52), qui Ciceronis fere aetate *περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων* librum composuit, atque, quo potissimum usus esse videtur, Dioclem (D. II 54) dico, qui Neronis fere aetate *Ἐπιδρομὴν τῶν φιλοσόφων* scripsit, laudat Diogenes Aristippi librum *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς* (Diog. II 48), Ephori historici libr. 25 (D. II 54), Aristotelem (II 55) Hermippi librum *περὶ Θεοφράστου* (II, 55), Timonem (ibid.), Stesiclidis Atheniensis *ἀναγραφὴν τῶν ἀρχόντων καὶ Ὀλυμπιονικῶν* (ib.), Istrum (II 59), quos non magis legisse videtur[1]) quam ipsum Xenophontem, sed a Diocle laudatos invenisse (cfr. quae § 46 — 49 de Xenophonte Cliniam amante refert cum Symp. IV 14).

Ipsius vero iudicium a Diogene ad librum componendum non adhibitum esse et omnino notum est et ex Xenophontis vitae enarratione intellegitur, cum, quod ipse in Socratis vita narravit, ubi Xenophontem a Socrate in

---

1) cfr. Val. Rose, de Aristot. libr. ord. et auctor. p. 40. Bahnsch. l. l. p. 2 seqq.

pugna Deliensi servatum esse rettulit (II 22) hoc in Xenophontis vita ne commemoraverit quidem, neque simulac contraria atque inter se repugnantia in fontibus suis legit, quid verum quid falsum esse iudicet, aperuerit (cfr. quae de Xenophontis aetate § 55 et § 59 refert).

Ex Diogene vero brevis, quam Hesychius exhibet, Xenophontis vita fluxit[1]), qui nihil quod non in Diogene legatur, narrat et cum ille Xenophontem primum philosophorum historicum librum composuisse dicat, falso hoc ita interpretatus est, ut illum primam historiam philosophorum scripsisse tradat (Diog. II 48, ἱστορίαν φιλοσόφων πρῶτος ἔγραψεν. — Suidas: πρῶτος βίους φιλοσόφων ἔγραψεν).[2])

Itaque cum eorum, quae a scriptoribus de Xenophontis vita referantur, naturam cognoverimus, iam ii enumerandi sunt, qui nostra aetate de ea re, quam nobis tractandam proposuimus, egerunt. Ac vitas quidem Xenophontis composuerunt Fabricius (Biblioth. Gr. III p. 1), Schoellius (Gr. Litt.-Gesch., int. Germ. I 337), Letronnius (Biogr. univers. t. LI p. 369), Baehrius (Paulys Realencycl. t. VI 2 p. 2791), Ruestowius (Militair. Biogr. I p. 95), Bergkius (Ersch und Grubers Encyclop. s. I t. 81 p. 390), Grotius (Platon and the other companions of Socrates, III p. 562), Zellerus (Philosoph. d. Griech. II 1^3 p. 198) nec non editores Xenophontis scriptorum Kuehnerus (ed. Anabas.), Dindorfius (ed. Anabas.) Sauppius (ed. Cyropaediae praef.) Quibus Krügeri De Xenophontis vita quaestiones criticae (Hal. 1822) repetitae libri Philol.-hist. Stud. inscripti t. II p. 262) addendae sunt, quae quamvis vera paucissima exhibeant, tamen longissimum per tempus propter sophisticam disputandi rationem fundamentum quasi omnium de nostra re quaestionum habitae et laudatae sunt. Rankii autem libellus, qui „de vita et scriptis Xenophontis“ inscribitur

1) Hesych. Miles. ed. Flach p. L; negavit Wilamowitzius Ep. ad Maass. p. 148. argumentis non satis probabilibus.

2) Cum hac sententia non pugnat, quod Diogenes Xenophontem Ἀττικὴν μοῦσαν appellatum esse refert, Suidas Ἀττικὴν μέλιτταν; sic enim propter γλυκύτητα in illo quoque legendum esse videtur. Quod iam Menagius sibi persuasit.

(Berol. 1851), spem legentium frustratur, cum de vitae temporibus disputare dedignatus ad Kruegerum confugiat. Quae singula deinde alii disseruerunt, ea suis locis commemoranda erunt. Iis vero Xenophontis vitis, quas composuerunt hh. dd. Fortia d'Urbain (Lutet. Paris. 1794), Croiset (Xénophon. Son caractère et son talent. Étude morale et littér. Par. 1873, de quo libro iudicium publice factum est a Nitschio, Zeitschr. f. d. Gymnasialw. t. XXVIII p. 967) utendi facultas mihi non magis fuit quam *Λεοντίχου χρονολογίᾳ συντόμῳ τῶν Ξενοφῶντος ἱστοριῶν καὶ τοῦ βίου*, quae est repetita a Gailio ed. t. VI. p. 786.

§ 2. Xenophon quo anno natus sit.

Iam transeo ad ipsam rem. Fuit Xenophon Grylli et Diodorae[1]) filius, Atheniensis, ortus ex pago Erchia[2]), quem Aegeidi tribui adscriptum fuisse constat. (C. I. A. I 299. III 1043. 1076. 1091. 1121. 1171. Hesych. s. v. Gelzer ap. Hermann. Gr. St. ed. Stark. Alt. p. 803.) Neque veri dissimile est, Xenophontem hominem equestrem fuisse, cum et ipse totam per vitam rei equestri operam navaret (*π. Ἱππ.* I 1 seqq.) et filii inter equites Atheniensium stipendia merentur. Certe re familiari non caruit, quippe qui non mercenarius miles sed voluntarius ad Cyrum profectus suos ipsius equos secum duxisse videatur (An. III 1, 4 et 3, 19). At quo anno natus sit, minime inter se homines docti consentiunt; ut enim eos modo, qui maxime contraria disputaverunt, afferam, aliis quinquaginta fere annos natus ad Cyrum venisse videtur, aliis vicesimo quarto aetatis anno. Atque in tam diversas sententias potuit abiri, cum Straboni Diogenique (qui eo loco non

1) De Grylli nominis forma legitima nec non de Diodora Xenophontis matre lege appendiculas huius dissertationis.

2) Utrum *Ἐρχία* an *Ἑρχία* an *Ἑρχεία* legitima nominis forma fuerit, equidem discernere non audeo. Legitur enim et *Ἐρχιεύς* in inscriptionibus, quae spiritum asperum exhibent (velut C. I. A. I 179. 296. 318) et *Ἑρχιεύς* in titulis, qui aspirationem saepius neglegant (C. I. A. I 188. 324) et *Ἐρχειεύς* (*Ἐφημερὶς ἀρχαιολογική. Περίοδ*. B. 1862. n. 108) nec non *Ἑρχεία* apud Hesychium s. v.

Dinarchi auctoritate utitur, cum in Socratis vita rem referat), maior fides tribueretur, quam ipsi Xenophonti. Nam qui eum, cum ad Cyrum proficisceretur iuvenem fuisse sibi persuadent, ii ad ipsius Anabasim recurrunt, qui aetate provectiorem, ad Diogenem Laertium (Diog. Vita Socr. II 22) et Strabonem (IX p. 405), qui in pugna apud Delium a. 424 commissa Xenophontem, qui de equo decidisset, humeris acceptum a Socrate servatum esse narrant. Quae si vera essent, Xenophontem ante a. 444 natum esse oporteret, cum Athenienses iuvenibus non prius quam 20 annos nati essent, ad externa bella gerenda uterentur (Gilbert, Gr. Staatsaltert. I 301). Atque haec fuit plurimorum hominum doctorum sententia a Kruegero maxime defensa, quem praeter alios C. F. Hermannus (Tempus Convivii Xenophontei p. 6 = N. Jahrb. 1846 suppl. XII 329). Clintonius (Fast. Hell. ad a. 401), Dindorfius (l. l.), Sauppius (l. l.) secuti sunt[1]). Neque defuerunt, qui cum vera tradere Diogenem et Strabonem censerent, vel maiorem natu Xenophontem fuisse putarent, velut Matthiae, qui anno 447, Beckhausius, qui a. 449, Fertia d'Urbain et Hutchinson, qui Fabricium Bibl. Gr. III 1 secuti a. 450 eum natum esse sibi persuaserunt. Quos quamquam probare non possumus, silentio tamen praetereundum non est, antiquos quosdam grammaticos iam ita statuisse. In Macrobiis enim, qui liber etsi Luciano tribuendus non est, tamen a docto quodam homine scriptus videtur[2]), Xenophontem ultra nonagesimum annum vitam produxisse legimus ([Lucian.] Macrob. 21); itaque cum eum circa a. 354 mortuum esse — id quod infra erit probandum

---

1) Eadem ante Kruegerum Corsinius (Fasti Attici II 279) Weiskius (ed. Xen. VI 93) contenderunt. Kruegerum secuti sunt praeter viros supra laudatos Letronnius l. l.; Delbrueck, Xenophon etc. p. 50; Engel, Xenophons polit. Stellung u. Wirksamkeit p. 3; Schoell, Griech. Litter. int. Germ. p. 337; Hug, Philol. VII 638; Koechly, Acad. Vorträge I 254; Deventer, Xenophontis liber de vectigalibus p. 35; Hagen, Eos II 159; C. Lincke (Hermes XVII 320), Kruegerumne an Nitschium sequatur non aperuit.

2) Ex Apollodoro autem Macrobios non fluxisse demonstravit E. Rohde Mus. Rh. XXXVI p. 541.

— verisimile sit, is, qui haec rettulit, putàsse videtur, illum iam ante annum 444 natum esse[1]). Sed cum hac sententia ea, quae in Anabasi Xenophon ipse de se refert, adversa, ut ita dicam, fronte pugnant; luce enim clarius est, eum, cum a Graecis dux crearetur, iuvenem admodum fuisse, qua de re infra fusius disputandum erit; hoc loco id unum premendum esse videtur, quantum in ipsis illis narratiunculis insit, quod, ne nimiam iis fidem tribuamus, suadeat. Ac primum quidem Diogenem neque Alcibiadis a Socrate in pugna Potidaeensi servati (cfr. Plat. Symp. 220 d. e.) mentionem fecisse, neque quae de Xenophonte ab illo servato referat, in huius sed in Socratis vita narrare, miramur; illic enim, cum Socratis modo fortiter factum esset praedicandum, non multum interfuit, utrum Alcibiadem an Xenophontem servatum narraret, — sed Diogenes neglegentior est, quam in quo talia monenda esse videantur. Maioris autem momenti est, quod Plato, cum quam fortem Socrates in pugna Deliensi se praestiterit, narret, Xenophontem eo tempore ab illo servatum esse non commemorat. Nemini enim ignotus est locus Symposii, quo Alcibiades quomodo Socrates ex illo proelio decesserit narrat (Plat. Symp. p. 221 a.): *ἀπεχώρει οὖν ἐσκεδασμένων ἤδη τῶν ἀνθρώπων οὗτός τε ἅμα καὶ Λάχης, καὶ ἐγὼ περιτυγχάνω καὶ ἰδὼν παρακελεύομαί τε αὐτοῖν θαρρεῖν καὶ ἔλεγον, ὅτι οὐκ ἀπολείψω αὐτώ· ἐνταῦθα δὴ καὶ κάλλιον ἐθεασάμην Σωκράτη ἢ ἐν Ποτιδαίᾳ· πρῶτον μὲν ὅσον περιῆν Λάχητος τῷ ἔμφρων εἶναι· ἔπειτα ἔμοιγε ἐδόκει καὶ ἐκεῖ διαπορεύεσθαι ὥσπερ καὶ ἐνθάδε, βρενθυόμενος καὶ τὤφθαλμὼ παραβάλλων, ἠρέμα περισκοπῶν καὶ τοὺς φιλίους καὶ τοὺς πολεμίους δῆλος ὢν παντὶ . . . . ὅτι εἴ τις ἅψεται τούτου τοῦ ἀνδρός, μάλα ἐρρωμένως ἀμυνεῖται* etc.[2]). Xenophontis hic

---

1) Cfr. Diodor. XV 76, qui Xenophontem a. 366 *ἐσχατογήρων* fuisse dicit.

2) Mirum quantum sive neglegenter sive plane sophistica disputandi ratione usus de his locis egerit Kruegerus, qui dicit p. 263: „Sed Straboni et Diogeni adversatur auctor non spernendus Plutarchus (V. Alcib. 7), Alcibiadem a Socrate servatum esse referens. Quamquam huic id obiecerim, quod Alcibiades ubi quam fortiter in pugna Deliensi

omnino mentio non fit, quem si Socrates ἀνέλαβεν τοῖς ὤμοις καὶ ἔσωσεν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους, Alcibiades neque non videre potuit, neque cum Socratem praedicare vellet, praetermisisset. Neque Xenophon unquam suae salutis auctorem esse Socratem dixit, quod, si vera Diogenes Straboque narrarent, maxime esset mirandum. Cum igitur se a. 432 in pugna Potidaeensi a Socrate servatum esse Alcibiades apud Platonem narret (Symp. p. 220 d.), idemque illum in pugna Deliensi fortissimum se praestitisse paulo infra referat (ib. p. 221 a.), haec a Strabonis Diogenisque auctoribus confusa atque permixta esse apparet, praesertim cum iisdem fere, quibus Plato, Diogenes verbis utatur (Diog. II, 23: ὅτε καὶ πάντων φευγόντων Ἀθηναίων αὐτὸς ἠρέμα ἀνεχώρει παρεπιστρεφόμενος ἡσυχῇ καὶ τηρῶν ἀμύνασθαι εἴ τίς οἱ ἐπέλθοι. Quae apud Platonem optima, apud Diogenem absurda sunt, cum Socrates Xenophontem humeris susceptum reportet. Itaque quae de Xenophonte in pugna Deliensi stipendia merenti tradita sunt, omni probabilitatis specie carent. Cfr. Cobet. Nov. Lect. p. 558 sq.

Alteram autem ad Xenophontis aetatem constituendam viam Nitschius indagasse sibi videtur, qui eum si non ipso anno 440, at inter a. 442 et 436 natum esse demonstrare studuit (Abfassg. d. Hellen. Berl. 1871, p. 18 sqq.). Quod ut probet, Memorabilium et Oeconomici et Convivii iis locis utitur, quibus Critobuli et Euthydemi mentio fit, quorum utrumque aequalem fere Xenophontis, hunc aliquanto minorem natu, illum paullo maiorem fuisse putat. Socratis autem cum illis colloquia in annos 422—418 refert, Xenophontemque igitur illo tempore circa octavum decimum

---

magister se gesserit, commemorat (Plat. Symp. p. 221 a.) ne verbo quidem suam se ei salutem hoc tempore debuisse significat; quod silentium satis vocale censuerim". — At, quaero, quomodo adversatur Plutarchus Straboni? Refert hic Xenophontem apud Delium a Socrate servatum esse, ille Alcibiadem apud Potidaeam; utrumque vero servare potuit Socrates. Id quoque me ignorare profiteor, quomodo Alcibiades se Socrati apud Delium salutem debuisse referret (p. 221 a), cum apud Potidaeam se ab illo servatum esse modo narravisset (p. 220 e). An putat Kruegerus, bis esse Alcibiadem a Socrate servatum?

aetatis annum versatum esse dicit. Qui quamquam Jungmanni assensum tulit (Philol. Anzeiger V p. 139 sqq.) mihi tamen quod voluit non probavit. Primum enim rationes, quibus ut tam Euthydemum quam Critobulum Xenophonti aetate suppares fuisse existimet, commotus est, levissimae vel nullius momenti sunt[1]), deinde illa colloquia a. 422—418 habita esse probari non potest. Euthydemum enim iam ante a. 417 Socratem sectari coepisse ex ea una re concludit, quod ille a Platone (Conviv. p. 222 b) inter Socratis discipulos commemoratur; Convivium vero a. 417 habitum esse fingitur (Athen. V. p. 217). At Platonem talibus in rebus historiae fidem non servasse et omnino constat et nuper luculentissimo exemplo a Mueller-Struebingio demonstratum est. (Philol. t. suppl. IV 1880. p. 100). Deinde cur ea quae Mem. II 6, 27 leguntur, ad foedus a. 422 ab Atheniensibus cum Argivis et Arcadibus initum referenda sint, non video, neque hoc colloquium ante pugnam Mantineensem a. 418 commissam habitum esse ex Mem. II, 6, 18 apparet, cum Xenophon non res, quae nuper acciderunt, respiciat, sed quae semper accidere possunt, neque id quod Mem. I 3 narratur, institutum esse cum pacem Atheniensis agerent, ex iis quae sectione tertia decima leguntur satis apparet. — Itaque Convivium relinquitur et Oeconomicus, qui in idem fere tempus cadere videtur, cum Xenophon in utroque scripto Critobulum nuper uxorem duxisse fingat. Convivium vero Autolyci victoria celebrandae causa a Callia apparatum esse

---

1) cfr. Nitsche p. 26: „Die besprochenen Scenerieen erlauben nun Schlüsse auf Xenophons Geburtszeit, weil er ausdrücklich bezeugt, dass er bei ihnen gegenwärtig war. . . . Die Gespräche mit Euthydem im IV. Buche lassen sodann aber auch den Schluss auf Xenophons damaliges Alter zu. Er theilt sie zu dem Zwecke mit, um Socrates Erziehungs- und Lehrmethode darzustellen, und zwar thut er es in verhältnissmässiger Ausführlichkeit. Daher ist der Schluss gerechtfertigt, dass jene Gespräche aus Xenophons eigener Schülerzeit stammen und dass er etwa gleiches Alter mit Euthydem hatte, oder vielmehr, da er Inhalt und Personen der Gespräche mit Beherrschung des Gegenstandes darstellt, dass er etwas älter als Euthydem war." — Neque magis ex iis, quae Apomn. I 3, 8—15 leguntur, Xenophontem minorem natu fuisse quam Critobulum apparet.

Athenaeus testatur, cum a. 421 Eupolidis fabulam actam esse dicat, qua illius victoria derideretur (Athen. V p. 216 d)[1]). Itaque si et Athenaeus hac de re recte iudicavit et Xenophon verum dixit, cum se ipsum illi convivio affuisse testetur (Conv. I 1), eum circa a. 440 natum esse satis constat, cum vix ante octavum decimum aetatis annum Socratem sequi posset. Sed primum neglegendum non est, Xenophontem neque inter Socratis discipulos neque inter ceteros Calliae convivas sui mentionem fecisse vel initio alterius capitis dixisse: ἔρχεται αὐτοῖς ἐπὶ κῶμον, quasi non ipse adfuisset. Deinde temporum rationem non prorsus servavit, cum et Niceratum, Niciae filium, rem familiarem administrantem faciat Conv. IV, 51, quod ille antequam pater a. 413 in Sicilia periisset, non potuit, et Socratem πρεσβύτην dicat (Conv. II, 18), qui a. 422 quadraginta septem annos natus esset[2]). Sed ut haec excusentur[3]), equidem necessarium non duco. Omnino enim non Calliae convivium a Xenophonte narratum, sed ut Socratem in ioco atque vino optimum sodalem demonstraret, convivium fictum esse existimo, cui illam occasionem supposuerit. Se ipsum autem iis,

---

1) De Convivii Xenophontei tempore consentiunt ed. Krueger (Phil. hist. Stud. II 274. 287 seqq.), C. F. Hermann (N. Jahrb. suppl. XII 342), Boeckh (Simultas p. 15), Cobet (Prosopogr. Xen. p. 29), Hug (Philol. VIII 642). Dissenserunt, quantum video, duo modo homines docti, Lennius (Symposion Xen. quo temp. sit habitum; Sorau 1847), qui a. 412 et Vaterus (N. Jahrb. suppl. XII p. 85), qui a. 406 habitum esse putat. Quorum hic nihil momenti pro sua sententia attulit, Lennius magna Panathenaea, quibus ludos illos institutos esse Xenoph. Conv. I 2 dicit, tertio uniuscuiusque Olympiadis anno, itaque non a. 412 sed 414 et 410 celebrata esse neglexit. De Panathenaeis lege quae M. Heyer disputavit ap. Ersch. et Gruber. s. III. t. 10. p. 219.

2) Juvabit cum C. F. Hermanno qui hominem quadraginta septem annorum πρεσβύτην appellari posse sibi persuasit, Kruegerum comparare, qui Xenophontem quadraginta quattuor annos natum νεανίσκον dictum putat (Phil. hist. Stud. II 267. 277; cfr. Sturz. Lex. Xen. s. v. νεανίσκος.)

3) Charmidis verba quae Conv. IV 31 leguntur: ὑπερορίων στέρομαι καὶ τὰ ἔγγαια οὐ καρποῦμαι nimis premere nolo, quamquam Nitschius in iis temporum rationem neglectam esse concedit. Neque enim est, cur externos illos fundos in Thracia sitos fuisse negemus,

aetatis annum versatum esse dicit. Qui quamquam Jungmanni assensum tulit (Philol. Anzeiger V p. 139 sqq.) mihi tamen quod voluit non probavit. Primum enim rationes, quibus ut tam Euthydemum quam Critobulum Xenophonti aetate suppares fuisse existimet, commotus est, levissimae vel nullius momenti sunt[1]), deinde illa colloquia a. 422—418 habita esse probari non potest. Euthydemum enim iam ante a. 417 Socratem sectari coepisse ex ea una re concludit, quod ille a Platone (Conviv. p. 222 b) inter Socratis discipulos commemoratur; Convivium vero a. 417 habitum esse fingitur (Athen. V. p. 217). At Platonem talibus in rebus historiae fidem non servasse et omnino constat et nuper luculentissimo exemplo a Mueller-Struebingio demonstratum est. (Philol. t. suppl. IV 1880. p. 100). Deinde cur ea quae Mem. II 6, 27 leguntur, ad foedus a. 422 ab Atheniensibus cum Argivis et Arcadibus initum referenda sint, non video, neque hoc colloquium ante pugnam Mantineensem a. 418 commissam habitum esse ex Mem. II, 6, 18 apparet, cum Xenophon non res, quae nuper acciderunt, respiciat, sed quae semper accidere possunt, neque id quod Mem. I 3 narratur, institutum esse cum pacem Atheniensis agerent, ex iis quae sectione tertia decima leguntur satis apparet. — Itaque Convivium relinquitur et Oeconomicus, qui in idem fere tempus cadere videtur, cum Xenophon in utroque scripto Critobulum nuper uxorem duxisse fingat. Convivium vero Autolyci victoria celebrandae causa a Callia apparatum esse

1) cfr. Nitsche p. 26: „Die besprochenen Scenerieen erlauben nun Schlüsse auf Xenophons Geburtszeit, weil er ausdrücklich bezeugt, dass er bei ihnen gegenwärtig war. . . . Die Gespräche mit Euthydem im IV. Buche lassen sodann aber auch den Schluss auf Xenophons damaliges Alter zu. Er theilt sie zu dem Zwecke mit, um Socrates Erziehungs- und Lehrmethode darzustellen, und zwar thut er es in verhältnissmässiger Ausführlichkeit. Daher ist der Schluss gerechtfertigt, dass jene Gespräche aus Xenophons eigener Schülerzeit stammen und dass er etwa gleiches Alter mit Euthydem hatte, oder vielmehr, da er Inhalt und Personen der Gespräche mit Beherrschung des Gegenstandes darstellt, dass er etwas älter als Euthydem war.“ — Neque magis ex iis, quae Apomn. I 3, 8—15 leguntur, Xenophontem minorem natu fuisse quam Critobulum apparet.

Athenaeus testatur, cum a. 421 Eupolidis fabulam actam esse dicat, qua illius victoria derideretur (Athen. V p. 216 d)[1]. Itaque si et Athenaeus hac de re recte iudicavit et Xenophon verum dixit, cum se ipsum illi convivio affuisse testetur (Conv. I 1), eum circa a. 440 natum esse satis constat, cum vix ante octavum decimum aetatis annum Socratem sequi posset. Sed primum neglegendum non est, Xenophontem neque inter Socratis discipulos neque inter ceteros Calliae convivas sui mentionem fecisse vel initio alterius capitis dixisse: ἔρχεται αὐτοῖς ἐπὶ κῶμον, quasi non ipse adfuisset. Deinde temporum rationem non prorsus servavit, cum et Niceratum, Niciae filium, rem familiarem administrantem faciat Conv. IV, 51, quod ille antequam pater a. 413 in Sicilia periisset, non potuit, et Socratem πρεσβύτην dicat (Conv. II, 18), qui a. 422 quadraginta septem annos natus esset[2]. Sed ut haec excusentur[3], equidem necessarium non duco. Omnino enim non Calliae convivium a Xenophonte narratum, sed ut Socratem in ioco atque vino optimum sodalem demonstraret, convivium fictum esse existimo, cui illam occasionem supposuerit. Se ipsum autem iis,

---

1) De Convivii Xenophontei tempore consentiunt ed. Krueger (Phil. hist. Stud. II 274. 287 seqq.), C. F. Hermann (N. Jahrb. suppl. XII 342), Boeckh (Simultas p. 15), Cobet (Prosopogr. Xen. p. 29), Hug (Philol. VIII 642). Dissenserunt, quantum video, duo modo homines docti, Lennius (Symposion Xen. quo temp. sit habitum; Sorau 1847), qui a. 412 et Vaterus (N. Jahrb. suppl. XII p. 85), qui a. 406 habitum esse putat. Quorum hic nihil momenti pro sua sententia attulit, Lennius magna Panathenaea, quibus ludos illos institutos esse Xenoph. Conv. I 2 dicit, tertio uniuscuiusque Olympiadis anno, itaque non a. 412 sed 414 et 410 celebrata esse neglexit. De Panathenaeis lege quae M. Heyer disputavit ap. Ersch. et Gruber. s. III. t. 10. p. 219.

2) Juvabit cum C. F. Hermanno qui hominem quadraginta septem annorum πρεσβύτην appellari posse sibi persuasit, Kruegerum comparare, qui Xenophontem quadraginta quattuor annos natum νεανίσκον dictum putat (Phil. hist. Stud. II 267. 277; cfr. Sturz. Lex. Xen. s. v. νεανίσκος.)

3) Charmidis verba quae Conv. IV 31 leguntur: ὑπερορίων στέρομαι καὶ τὰ ἔγγαια οὐ καρποῦμαι nimis premere nolo, quamquam Nitschius in iis temporum rationem neglectam esse concedit. Neque enim est, cur externos illos fundos in Thracia sitos fuisse negemus,

quae narrat affuisse testari potuit, cum quae summa libelli est, colloquia de Amoris natura serta ipse audivisset. Itaque argumenta chronologica ex Convivio et omnino ex dialogis philosophorum ducenda non esse puto. Qui vero convivium a 422 tale habitum esse sibi persuadent, quale a Xenophonte narratur, ii in duplicem incidunt difficultatem. Primum enim cum illorum sententia Athenaeus pugnat, qui Xenophontem a. 422 aut nondum natum aut infantem admodum fuisse dicit[1]), quod quin ille non primus sibi persuaserit, sed a grammaticis cautioribus traditum invenerit, equidem non dubito. Nitschius deinde si Xenophontem praecipue colloquia inter annos 422 et 418 habita enarrasse putat (nam non modo Convivium et Oeconomicum, sed etiam Memor. I 2, 29—31. 3. II 6. IV 2. 3. 5—6, 11 in illos annos Nitschius refert), quomodo ille per triginta vel quadraginta annos haec adeo exacte memoria retinere potuerit, non apparet. Itaque colloquia plurima, quibus scilicet Xenophon interfuit, in extremam Socratis aetatem referenda censeo. Nemo enim ea quae Socratem disputantem audiverat, statim a Xenophonte litteris mandata esse sibi persuadebit.

Nitschii igitur sententiae, qui Xenophontem inter a. 442 et 436[2]) natum esse existimat, assentiri non possum et eius aetatem ex Anabasi potius quam ex Convivio et Memorabilibus constituendam esse puto.

Xenophontem enim cum contra Artaxerxem cum Cyro

---

qua provincia Brasidae incursione Athenienses privati sunt, neque ex iis terris, quae in ipsa Attica sitae erant, Charmides a. 422 fructus percipere potuit, si non agros frumentarios, qui in Attica rari erant, sed oliveta ficetaque possidebat. Nam cum Lacedaemonii arboribus omnibus decisis Atticam usque ad a. 425 vastavissent, oliveta etiamsi quis statim inserenda curavit, a. 422 fructus dare nondum potuerunt. Quis autem pomaria inserit, quae proximo anno ab hostibus deletum iri suspicetur?

1) Athen. V. 216 d: *Ξενοφῶν ὑποτίθεται σὺν τοῖς ἄλλοις δαιτυμόσι παρόντα αὐτὸν, τὸν ἴσως μηδὲ γεννηθέντα ἢ περὶ παιδικὴν ἡλικίαν ὑπάρχοντα.*

2) Ipso a. 440 Xenophontem natum esse ipse Nischius non nisi Cobeti coniectura, qui Mem. I 3, 6 et 10 pro *Ἀλκιβιάδου υἱόν* — *Ἀξιόχου υἱόν* scribendum putat, defendit. Quam coniecturam necessariam non duco.

proficisceretnr iuvenem admodum fuisse adeo apparet, ut illo tempore ne tricesimum quidem aetatis annum confectum habuisse videatur. Quod primus fortasse Athenaeus vidit (l. l. V p. 216 d), nostra deinde aetate eadem sibi persuaserunt Forsterus in Spelmanni Anabaseos interpretatione Anglica (cfr. Fabricii Bibl. Gr. III p. 1; ipse librum non vidi), Larcherus (Anab. interpr. Francogall. Paris. 1777 p. 560) nec non Voltairius (Dictionnaire philos. s. v. Xénophon = Oeuvr. éd. rev. Paris 1879 t. XX p. 399). Fusius de hac re disputaverunt primus Mitfordius (Hist. of Greece IV 329), deinde Vaterus (N. Jahrb. t. suppl. XII 85) et Cobetus (Nov. Lect. p. 534. 756), quos sequitur Grotius (Platon etc. III 564). Eadem vero paucos aute annos trans Oceanum v. d. Ch. Morris disseruit, cui illorum quemquam legere facultas non fuit (Transactions of the American philological Association 1874 p. 82). Paulo vero aetate eum provectiorem fuisse Bergkii sententia est (Ersch u. Grub. s. I. t. 81 p. 391), quocum consentiunt vv. dd. E. Curtius (Gr. Gesch. III[5] 793), Gleiniger (De Xenophontis libro q. *Πόροι* inscrib. p. 35), Zeller (Philos. d. Griech. II. 1[3] 199).

Atque iuvenem fuisse Xenophontem, cum Cyrum sequeretur, ex eo satis apparet, quod cum prioribus Graecorum ducibus dolo a Persis sublatis noctu de se ipso duce Graecis offerendo cogitet, iuventutis cogitatio ei scrupulum inicit, quem tandem sibi ipse ita evellit, ut dicat: *ποίαν ἡλικίαν ἐμαυτῷ ἐλθεῖν ἀναμείνω; οὐ γὰρ ἔγωγε ἔτι πρεσβύτερος ἔσομαι, ἐὰν τήμερον προδῶ ἐμαυτὸν τοῖς πολεμίοις* (Anab. III 1, 14), et quod paulo post apud Proxeni centuriones contionans se aetatem non excusaturum esse dicit, sed imperium, si offerretur, accepturum (*εἰ δ' ὑμεῖς τάττετέ με ἡγεῖσθαι, οὐδὲν προφασίζομαι τὴν ἡλικίαν, ἀλλὰ καὶ ἀκμάζειν ἡγοῦμαι ἐρύκειν ἀπ' ἐμαυτοῦ τὰ κακά.* Anab. III 1, 25).[1]) Accedit, quod

1) Neminis assensum Spelmannum, Anabaseos interpretatorem Anglicum, laturum esse existimo, qui Xenophontem propterea num ducem se offerret dubitare dicit, quod maior natu esset, quam qui ducis officiis fungeretur, neque magis Kruegerum (Stud. p. 272) qui propterea iuventutem a Xenophonte excusatam esse putat, quod maiores natu affuissent; neutrum enim viri quadragesimum quartum aetatis annum agentis est.

eorum imperatorum, qui deinde a Graecis creati sunt, se ipsum et Timasionem minimos natu fuisse Xenophon testatur, qua de causa iis agminis novissimi imperium, quod corpora exigebat velocissima, cum a tergo saepe hostes aggrederentur, traditum est (cfr. Anab. III 2, 37: *ὀπισθοφυλακοῖμεν δ' ἡμεῖς οἱ νεώτεροι ἐγὼ καὶ Τιμασίων.* cfr. IV 1, 6. 2, 16. VII 3, 46.). Atque cum ex iis, qui a Persis interfecti erant, ducibus unus Clearchus quinquaginta (Anab. II 6, 15), ceterorum Agias Socratesque tringinta quinque (ibid. § 30 et 20), Proxenus non plus quam triginta annos haberent, mirum esset, Xenophontem, si quadraginta annos natus esset, iuventutem excusandam duxisse. Probabile igitur eum quoque tricesimum circa annum egisse vel aetate aliquanto minorem fuisse quam Proxenum; nam cum illius centuriones iuveni triginta annorum oboedire consuevissent, excusatione nulla opus fuit, nisi minor natu esset. Mitto locum Anab. VI 4, 25: *Ξενοφῶν ἐβοήθει καὶ οἱ ἄλλοι οἱ μέχρι τριάκοντα ἐτῶν*, ex quo Vaterus praecipue Xenophontem a. 400 nondum triginta annos natum fuisse colligere voluit, cum Kruegerus (Gr. Schulgramm. 50, 4, 11) luculentissima quaedam exempla attulerit, quibus demonstretur, verbum *ἄλλος* nonnunquam idem significare, quod *praeterea* apud Latinos. Nullam vero difficultatem ea quae Anab. VII 2, 38 leguntur habent, ubi Seuthes ad Xenophontem haec dicit: *Σοὶ δέ, ὦ Ξενοφῶν, καὶ θυγατέρα δώσω, καὶ εἴ τίς σοί ἐστι θυγάτηρ, ὠνήσομαι Θρᾳκίῳ νόμῳ.* Neque enim inauditum esset, tricenario nubilem filiam esse, cum puellae duodecim annorum apud Graecos nonnunquam nuberent (Friedlaender, Sittengesch. Roms I[5] p. 504 sqq.) virique duodeviginti annos nati uxores ducerent (Demosth. or. XI 4 p. 1009. Paus. IV 19, 4) neque est cur Xenophontem post duorum fere annorum militias Seuthi maiorem natu visum esse negemus, quam erat, neque omnino filiam

---

1) Nulla de aetate Xenophontis dubitatio esset, si Chirisophus quem tum annum egerit, ille commemorasset; eo enim minorem natu se fuisse dicit Anab. III 4, 42. — Mitto locum Anab. II 1, 12, de quo uberrime Kruegerus egit, cum in optimis codicibus A B C E non Xenophontis nomen, sed Theopompi legatur (cfr. Dindorf. adn. ad h. l.).

statim in matrimonium ductum iri Seuthes dixit. Itaque tricesimum circa annum Xenophontem egisse puto cum Graecos reduceret et circa a. 430 natum esse Mitfordio aliisque quos supra enumeravi concedo. Neque est, cur iuvenem admodum a Graecis ducem creatum esse miremur, cum Iphicratem quoque, cum primum ducis officiis fungeretur a. 393 vicesimum annum agisse testetur Iustinus VI 5, 2, cuius levi quidem auctoritati ea re subvenitur, quod usque ad a. 355 Iphicrates in bellis versatus est (Sievers, Griech. Gesch. p. 120 n. 26.).

§ 3. De Xenophontis vita usque ad a. 394.

Sed satis superque de hac re; pergamus in vita Xenophontis enarranda. Atque de pueritia quidem nihil traditum est, neque quod Pfundius Blassiusque sibi persuaserunt, qui cum Isocrate ei amicitiam intercessisse arbitrati sunt (Blass, Attische Bereds. II 11, 42. Pfund, de Isocratis vita et scriptis p. 5) ea re satis probatur, quod ex eodem pago orti erant, Gryllique laudationem Isocrates composuit. (Hermipp. ap. Diog. Laert. II 55.) Adulescens deinde quomodo in Socratis familiaritatem imbutus esse tradatur, Diogenes Laertius (II 48) narrat. Magistrum vero totam per vitam summo cultu et veneratione prosecutus est, quamvis ingenio minus ad philosophiam quam ad res militares, rusticas, venaticas apto praeditus esset. Praeter Socratem quibus aliis magistris usus sit, nescimus; nam quod Photius tradit (Biblioth. cod. 260, p. 486, 36 B.), qui eum Isocratis discipulum fuisse dicit, cum temporum ratione pugnat, cum aequales fere essent, Xenophonque quo tempore Athenis Isocrates docere coepit a. 394 (cfr. Sanneg, de schola Isocr. p. 17) in Asia versaretur atque paulo post exilio multaretur.

Neque Philostrato Vit. soph. I 12 magnam fidem habendam esse puto, qui a Xenophonte captivo in Boeotia Prodicum auditum esse tradit. Quamquam enim Xenophontem in bello Peloponnesiaco stipendia fecisse non praefracte nego, tamen, num philosophum sectari captivo concessum sit, mihi maxime dubium est (Schenkelius vero hoc sibi persuasit. Xen. Stud. II. B. d. Wien. Ac. 80, 149.) Ut vero antequam ad Cyrum proficisceretur, uxorem duce-

ret, per aetatem quidem fieri potuit[1]), sed certis rationibus non probatur. Quamquam enim Cicero (de invent. I 31. cfr. Quintil. V 11, 27) Aeschinis Socratici dialogum laudat, quo ille Aspasiam cum Xenophonte eiusque uxore loquentem fecit (cfr. C. F. Hermanni de Aesch. Socr. rell. progr. Gotting. 1850), tamen nostrum Xenophontem intellegendum esse neque Cicero tradidit, neque per temporum rationem verisimile est. Summam igitur probabilitatis speciem Ruehlii coniectura habet, qui Xenophontem illum Meliteum, Euripidis filium, qui unus fuit ex decem imperatoribus a. 440. classi contra Samum insulam missae praefectis (schol. Aristid. Pericl. p. 185 Dindorf, cfr. G. Droysen, Herm. IX 4; Wilamowitz. Möll. Index lectt. Gryphisw. 1877/78) intellegendum esse arbitratur[2]). Idem vero a. 429 in Thracia apud Spartolum interiisse videtur. (Thucyd. II 70. 79. Müller-Strüb. Aristophanes u. d. hist. Krit. p. 621). Adde quod liberos sibi a. 399 nondum fuisse Xenophon ipse testatur, cum dicat (Anab. VII 6, 34): *Σεύθην ἤλπιζον εὖ ποιήσας μεθ' ὑμῶν ἀποστροφὴν καὶ ἐμοὶ καλὴν καὶ παισίν, εἰ γένοιντο, καταθήσεσθαι.* Simultatem vero ei illis temporibus cum Platone intercessisse (id, quod narrant Diog. L. II 57, Athen. IX. 507 B. Gellius XIV 3), iure suo Boeckhius negavisse videtur libro qui inscribitur: „De simultate, quae fertur Platoni cum Xenophonte intercessisse", certe hoc ex ea re, quod a Platone Xenophon omnino non

---

1) Etsi fieri potuit, ut Xenophon, iam antequam ad Cyrum proficisceretur, uxorem duceret, certe Sotirae ei nomen fuisse Kruegero (Stud. II 275.) non concedendum est. Cum enim Sotira non nisi in epistula pseudo-xenophontea commemoretur (Stob. Flor. 121. 37; Xen. ed. Sauppe V p. 291) atque hic Xenophon eam de Grylli morte consolans fingatur, epistularum fabrum illam, non quam Diogenes tradit, Philesiam Grylli matrem habuisse apparet. Sotirae vero nomen unde ille hauserit, nescio.

2) Pericle mortuo Lysiclem Aspasiae consuetudine usum esse Aeschines testis est (Plut. Pericl. 24. cfr. Ar. Equ. 764; Müller-Strübing. Arist. p. 583). De posteriore Aspasiae vita atque exitu nihil constat (Cobet, Prosopogr. Xen. p. 77), sed eam usque ad id tempus vitam produxisse, quo Xenophon Grylli f. uxorem ducere potuit, probabile non esse videtur.

commemoratus est, quamquam condiscipuli erant, ille a nostro semel modo et in re nullius plane momenti[1]), colligi non potest, cum saeculi illius scriptorum consuetudo fuisse videatur, ne eos quidem, a quibus dissentirent quosque refutarent, scriptores nominare, sed tecte modo significare (cfr. praecipue Thuc. I 20 cum Herod. V 55. VI 57. IX 53.) — Mitto narrare quae notissima sunt ex Anabasi, qua re commotus Xenophon Athenis (a. 401) cesserit, ad Cyrum pervenerit, quomodo Graecos per hostium fines reduxerit, cum Seuthe Thrace foedus inierit, Cyreos Pergami in oppido Thibroni Lacedaemoniorum duci tradiderit, cum de his rebus disputemus non sit necesse. Quid ipse exercitu Thibroni a. 399 (Hell. III 1,6) tradito fecerit, cum Xenophon non narret, dubitari potest, utrum in Asia remanserit necne. Atque Athenas eum paulo post Socratis mortem rediisse ibique per aliquod tempus commoratum esse quamquam Niebuhrius (Kl. Schr. I 464 sqq.) Letronnius (l. l. p. 377) Grotius (Platon III 565. H. o. Gr. IX 240) sibi persuaserunt, et quamquam Hellenicorum prima pars optime huic tempori attribuitur, tamen animum inducere non possum. Neque enim cur in Asiam redierit apparet, et Xenophontem socium rerum a Dercyllida primo anno postquam (a. 399) exercitui praefectus est gestarum fuisse ii Hellenicorum loci produnt, qui, quamvis non ita gravia in iis pertractentur, adeo tamen accurate narrantur, adeoque perspicue ac dilucide res ante oculos ponunt, ut non nisi a praesenti rerum teste talia scribi potuisse appareat. Legas, quae de Midia dolo capto Hell. III 1, 20, de funere ab Odrysis celebrato III 2, 25 narrantur. Quod cum Grotius quoque sibi persuaserit, Xenophontem paucos modo menses Athenis moratum in Asiam rediisse putat (l. l. p. 241). Itaque apud exercitum eum remansisse puto. — Deinde cum a. 396. Agesilaus bello contra Persas gerendo praeficeretur, (Grote H. of Gr. IX 358. Curtius Gr. Gesch. III[5] 161) mox in familiaritatem regis receptus esse videtur, cum nemo alius

---

1) Locus est Memor. III 6, 1, ubi dicit: Σωκράτης εὔνους ἦν (Γλαύκωνι) διὰ Χαρμίδην καὶ διὰ Πλάτωνα.

Persas melius cognitos haberet. Patriae vero adeo oblitus est, ut cum Agesilaus propter bellum in ipsa Graecia contra Lacedaemonios ortum ex Asia revocaretur, cum eo contra Graecos et ipsos Athenienses proficisceretur (An. V 3, 6) et in pugna Coronensi, quam secundum nostram temporum rationem paulo post d. XIV mensis Aug. a. 394 commissam esse solis defectu satis constat (Hell. IV 3, 10; Plut. Ages. 13. cfr. Zech. Die wichtigsten Finsternisse p. 33. 46) contra ipsius cives arma ferret[1]). Quod a Plutarcho traditum est, qui vitae Agesilai cap. XVIII haec docet: *Λέγει δὲ τὴν μάχην ὁ Ξενοφῶν ἐκείνην οἵαν οὐκ ἄλλην τῶν πώποτε γενέσθαι καὶ παρῆν αὐτὸς τῷ Ἀγησιλάῳ συναγωνιζόμενος ἐξ Ἀσίας διαβεβηκώς*, quocum conferas quoque ipsius Xenophontis illa: *ὅτι αὐτὸς κινδυνεύσων ἐδόκει ἰέναι* (Anab. V 3, 6). Quam ob rem ei ab Atheniensibus exilium irrogatum esse videtur; sed cum de hac re non consentiatur, accuratius paulo in eam inquiramus.

§ 4. De Xenophontis exilio et otio Scilluntio.

Duae enim sententiae prolatae sunt, altera eorum, qui eum circa a. 399, quod cum Cyro esset profectus, ab Atheniensibus damnatum esse putant altera, quod cum Agesilao contra patriam arma tulisset. Quarum utrique antiquitatis testimonia non desunt; nam qui eum a. 399. exilio esse multatum sibi persuadent, laudant Dionem Chrysostomum, qui l. VIII p. 130 M. dicit: *Ξενοφῶν ἔφυγε διὰ τὴν μετὰ Κύρου στρατείαν*, quocum consentire videtur Pausanias exhibens V 6, 3: *ἐδιώχθη ὁ Ξενοφῶν ὑπὸ Ἀθηναίων ὡς ἐπὶ βασιλέα σφίσιν εὔνουν ὄντα στρατείας μετα-*

1) Quod etsi Nicolaius credere non vult, qui in disputatione de exilio Xenophontis (Jahrb. f. Phil. 1864 p. 811) dicit, Xenophontem in pugna Coronensi arma tulisse ne Plutarchi quidem verbis (*συναγωνιζόμενος*) probari posse, tamen equidem quomodo Plutarchi auctoritas reici possit non video, cum Xenophon Cyreorum dux cum Agesilao profectus esse videatur et ipsius cum periculo se illud iter suscepisse testetur (Anab V 3, 6). Ille quidem argumentum nullum attulit persuasitque sibi, pugnae Xenophontem affuisse, quam accurate et ut praesens rerum testis describit (Hell IV 3, 15), postea quoque Agesilao familiari usum esse (Plut. Agesil. XX 1), sed in illo proelio ipsum non pugnasse. Quod mirum sane esset et inauditum!

σχὼν Κύρῳ πολεμιωτάτῳ τοῦ δήμου, quibus addendus Diogenes, qui in epigrammate dicit (Diog. L. II 58): *Κέκροπός σε πολῖται Φεύγειν κατέγνων τοῦ φίλου χάριν Κύρου.* Qui propter pugnam Coronensem, ii in Diogenem recurrunt, qui alio loco (ib. 51) exhibet, eum *ἐπὶ Λακωνισμῷ* condemnatum esse, quamquam hic tradit, iam cum in Asia Agesilaus versaretur (i. e. inter a. 396 et 394), illi exilium esse irrogatum. Testes sane meliores sunt iis, qui illum a. 399. exulem factum esse putant, quam ob rem plurimi in hanc sententiam abierunt, ex quibus Kruegerum (Phil.-hist. Stud. II 276) Nicolaium (Jahrbb. f. Phil. 1864, p. 811) Schenkelium (Stud. Xenoph. I 639 (Ber. d. Wien. Acad. t. 60) Koechlyum (Acad. Vorl. I 289 u. 356) laudem. Sed quae hi protulerunt, iis, quae Grotius disputavit (H. o. G. IX 242. Platon III 566), refutata esse censeo, qui eorum sententiam non probabilem esse demonstravit, qui Athenienses Xenophonti *ὅτι ἐπὶ βασιλέα σφίσιν εὔνουν ὄντα μετὰ Κύρου στρατείας μετεῖχεν* a. 399 exilium irrogasse censerent, cum illis temporibus Artaxerxes Atheniensibus non minus infensus esset, quam Cyrus, qui non nisi regis iussu sumptibusque bellum centra eos gesserat. Etenim eodem tempore, quo Xenophon exul factus esse dicitur, in Thibronis exercitu trecenti fuerunt equites Lacedaemoniis ab Atheniensibus contra Persas auxilio missi (Hell III 1, 4). Artaxerxes vero non prius quam a. 396 benevolentem Atheniensibus se praestitit, itaque non prius quam a. 396 vel 395 damnari potuit Xenophon, si amicitiae regis Persarum indulgentes Athenienses hoc fecerunt, — quae sera fuisset poena. Neque eo Diodori loco, quem pro sua sententia Nicolaius laudavit, id, quod vult, confirmatur. Putat enim ex iis, quae leguntur Diod. XIV 37: *περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον τῶν ἐστρατευμένων μετὰ Κύρου καὶ διασωθέντων τινὲς μὲν εἰς τὰς ἰδίας πόλεις ἀπηλλάγησαν*, effici, Xenophontem reditu in patriam iam prohibitum fuisse. Sed fugit hominem doctum apud Diodorum illic id tempus intellegendum esse, quo ad Seuthem Xenophon Cyreos nondum conduxerat, cum Diodorus pergat: *οἱ δὲ πλεῖστοι στρατηγὸν εἵλοντο Ξενοφῶντα, ὃς ἀναλαβὼν τὴν δύναμιν ὥρμησε πολεμήσων Θρᾷκας τοὺς περὶ Σαλμυδησσὸν οἰκοῦντας.* Illo autem tem-

pore Xenophontem nondum damnatum fuisse si probare Nicolaius voluit, Diodori auctoritate uti necessarium non fuit, cum ex ipsius Xenophontis verbis, quae sunt in Anab. VII 7, 57 constaret. Itaque Nicolaium Schenkelii assensum tulisse (Xen. Stud. I Ber. d. W. Acad. t. 60, 640; II ibid. t. 80, 154) miror, atque Xenophontem cum in pugna Coronensi arma contra patriam tulisset, exilio multatum esse existimo. Atque Xenophontem ipsum hoc significare censeo, cum dicat Anab. V 3, 6 sq: *Ξενοφῶν ὅτε ἀπῄει σὺν Ἀγησιλάῳ ἐκ τῆς Ἀσίας τὴν εἰς Βοιωτοὺς ὁδόν, καταλείπει (τὸ τῆς Ἀρτέμιδος μέρος) παρὰ Μεγαβύζῳ .... καὶ ἐπέστειλεν, ἢν μὲν αὐτὸς σωθῇ, ἑαυτῷ ἀποδοῦναι· ἢν δέ τι πάθῃ, ἀναθεῖναι ποιησάμενον τῇ Ἀρτέμιδι ὅ,τι οἴοιτο χαριεῖσθαι τῇ θεῷ. Ἐπεὶ δ᾽ ἔφευγεν ὁ Ξενοφῶν, κατοικοῦντος ἤδη ἐν Σκιλλοῦντι, ἀφικνεῖται Μεγάβυζος* ... etc. Cur enim hic exilii fecisset mentionem, si quinque annis ante quam cum Agesilao in Europam proficisceretur, damnatus fuit? Probatur illis verbis, hoc ei, postquam in Europam rediit, antequam Scillunte consedit, accidisse. Itaque eorum sententiae assentiri non dubito, qui Xenophonti post pugnam Coronensem exilium irrogatum esse censuerunt. (Niebuhrius, Vorl. üb. alt. Gesch. II 2, 227, Letronnius l. l., Grotius, H. o. G. IX 241; Platon III 566; Schaeferus, Demosth. etc. I 170; Hertzbergus, Gesch. d. Kön. Agesilaus 242; Wilamowitz-Möllend., Antigon. v. Karyst. 334.)

Quod vero Diogenes Laertius II 58 teste adhibito Istro narrat, qui Xenophontem tam exilio multatum quam revocatum esse auctore Eubulo tradit, id verum esse non potest, si clarissimus ille Eubulus Spinthari filius[1]) intellegendus est. Ille enim rem publicam eo tempore nondum attigit, sed non ante a. 372 (cfr. Boeckh, Staatsh. I 778, Schaefer Dem. I 370.) Quare non imprudenter Letronnius (l. l. 383) coniecisse videtur, Eubulum archontem a. 394 [2]) cum Eubulo illo clarissimo confusum esse; quod si verum

---

1) Eubulum non Anaphlystium sed Probalisium fuisse Vita X. orat. p. 480 b docet; cfr. Schäfer, Demosthenes I 190.

2) Archontem a. 394 Eubulum vocat Lys. or. XIX 28; Eubulidem Diodor. XIV 85.

est, hac quoque re Xenophontem a. 394 exilio multatum esse probatur. Verumtamen Ister fortasse recte eum Eubulo archonte damnatum, altero Eubulo auctore revocatum esse dixit, posterioresque scriptores hoc ita intellexerunt, ut eodem Eubulo auctore Xenophontem damnatum revocatumque dicerent. Tales vero nugas iam Timaeum in historia scribenda sectatum esse Plutarchus (Nicias c. 1) et Longinus (*περὶ ὕψους* 4, 1) testes sunt. (cfr. Blass, Attische Beredsk. v. Alexander bis Augustus p. 43, 2.)

Patria igitur cum Xenophon iam careret, eo maiore cultu et veneratione Agesilaum amplexus tum primum cum saucio illo Spartam venisse ibique usque ad a. 391, quo anno Agesilaus exercitu Corinthum profectus est (Hell. IV 4, 19. Grote H. of Gr. IX 470. 455) commoratus usque ad pacem Antalcideam a. 387 regem sectatus esse videtur. Cum enim probalilissima sit Grotii sententia, qui Xenophontem a. 390 in castris Agesilai apud Heraeum castellum fuisse censuit (H. v. G. IX 477)[1]) neque Hertzbergii coniectura, qui eum insequenti quoque anno Agesilai in Acarnanes expeditionis socium fuisse dixit (l. l. p. 269. n. 35)[2]), eum usque ad pacem a. 387 initam apud regem versatum esse puto. Deinde Scilluntem migravit, quod oppidum viginti stadia ab Olympia remotum (Anab. V 3, 11) a. 400. (Grote H. of Gr. IX 311. 316) cum ceteris Triphyliae oppidis Eleis ereptum Xenophon quidem Hell. III 2, 30 non commemoravit, sed ereptum esse a Lacedaemoniis verisimillimum est, cum vel Pisatidis oppida Letrinos, Marganes, Amphidolos illis tradere Elei cogerentur. Ubi eum cum a Lacedaemoniis *οἰκίαν καὶ ἀγρὸν* accepisset[3]), 'per decem et septem fere

1) cfr. quam minimas res refert. Hell. IV 5, 2 *καταλιπόντες καὶ τὰ τεθυμένα καὶ τὰ ἀριστοποιούμενα.* 4 (*καίριον ἐνθύμημα Ἀγησιλάου*) 6 *μάλα ὑπὸ τῶν παρόντων θεωρούμενος.* 7 *μάλα ἰσχυρῶς ἱδρῶντι τῷ ἵππῳ.*

2) Quo libro utendi cum mihi facultas non sit, quibus argumentis ille sententiam suam confirmaverit, nescio; attamen his praecipue locis utendum esse puto: IV 6, 6 *πέμπτῃ ἢ ἕκτῃ καὶ δεκάτῃ ἡμέρᾳ ἡ λίμνη περὶ ἣν τὰ βοσκήματα πάντα ἦν* . . . 7. *καίπερ ἤδη περὶ δεῖπνον κατασκευαζόμενον* . . . 10. *ἐν ᾧ μὲν ἐσφαγιάζετο* . . .

3) Diog. L. II 52 laudato Dinarcho cfr. Paus: V 6, 5: *Λακεδαιμόνιοι Σκιλλοῦντα ἀποτεμνόμενοι τῆς Ἠλείας Ξενοφῶντι ἔδοσαν* (!).

annos commoratum et agriculturae, venationi, litteris deditum scriptorum magnam partem composuisse altera disputationis nostrae parte demonstrabimus (cfr. Plutarch. de exilio c. 14); Lacedaemonios vero *προξενίαν* quoque ei dedisse si Dinarchi auctoritate nisus Diogenes Laertius affirmat (D. II 51), hoc non quo tempore ille tradit, nempe cum in Asia apud Agesilaum versaretur, factum esse existimo, sed cum Scillunte consedisset, cum illi proxenis suis velut emissariis delatoribusque usi esse videantur (cfr. Polydamae Pharsalii orationem Hell. VI 1, 4.). Eo vero ipso tempore ex Asia Megabyzus, Dianae Ephesiae ille pontifex, Olympia spectaturus venit (Anab. V 3, 7; Diog. II 52 *κατὰ πρόφασιν τῆς πανηγύρεως*), Xenophontique eam pecuniam, quam cum Agesilao a. 394 in Europam profecturus Ephesi deposuerat, reddidit. Quod a 384, quo prima post pacem Olympia celebrata sunt, factum esse cum Nitschio consentio (Abfass. d. Hell. p. 54). Qua ex pecunia ille sacellum Dianae Ephesiae aedificandum curavit et anniversarios dies festos agendos instituit (An. V 3, 7 sqq). Qua ex re qui causam Xenophontis ob pietatem erga deos laudandi ducunt, ii illam pecuniam non ipsius fuisse, sed ante sedecim fere annos ei traditam esse neglegunt. Praedam enim cum a. 400 Cerasunte Graeci distribuerent, decumam Apollini Ephpsiaeque Dianae factam ducibus servandam tradiderunt[1]). Atque ex ea quidem parte, quae Apollini destinata erat, Xenophon *ἀνάθημα ποιησάμενος ἀνατίθησιν εἰς τὸν ἐν Δελφοῖς τῶν Ἀθηναίων θησαυρόν*, Dianae vero partem neque quomodo Apollinis Delphos, ita hanc Ephesum — quae urbs multo minus remota erat — misit, neque cum primum ipse Ephesum venisset (quo fortasse iam a. 399, cum Thibron exercitum Dercyllidae traderet cf. Hell. III 1, 8, certe Agesilaum secutus a. 396 venit cf. III 4, 4. 15), dedicavit, sed *μενετὴν θεάν* ratus, quominus retineret religioni non habuit. Et ne tum quidem, cum ipse ex Asia devaderet, Deae dedit, sed Megabyzo ea condicione servandam tradidit, ut si ipse incolumis

---

1) An. V 3, 4: *τὴν δεκάτην διέλαβον οἱ στρατηγοὶ τὸ μέρος ἕκαστος φυλάττειν τοῖς θεοῖς.*

ex periculis evaderet, ipsi redderet, si periisset, Dianae iam donum faceret (Anab. V 3, 6.). Neque cum ex illa pecunia post a. 384 sacellum aedificasset, Graecos milites hoc deae dedicasse in ea inscriptione quam ipse nobis tradidit, commemoravit (An. V 3, 13 cfr. V 3, 5.).

§ 5. De Xenophontis uxore et filiis.

Scilluntem Xenophon secum nescio quam mulierculam duxit, cui nomen Philesiae erat (Diog. II 52 laudato Demetrio). Quam quo iure Ruestowius pulchram feminam ex Ionia natam dicat (Milit. Biogr. I 211) non minus ignoro[1]), quam cur Wilamowitzius eam Athenis oriundam fuisse tam praefracte negaverit[2]), cum de eius origine nihil constet. Ex ea enim re, quod Diogenes illam γύναιον loquitur l. l., nihil colligi potest, nisi Philesiam non ita nobili loco natam fuisse; neque quidquam inde proficimus, quod filios, qui inter equites Athenienses stipendia meruerunt, in civitatem receptos esse oportet. Nam Periclis illa lex[3]), qua qui a patre Atheniensi, sed ex matre alienigena orti essent, civitate privati sunt, brevi tempore interiecto neglecta esse videtur, quippe quam a. 404/3 et a. 346/5 renovari oporteret (cfr. Philippi, Beiträge z. Geschichte d. Att. Rechts p. 33). Fortasse Philesia una ex illis feminis fuit, quae fortunae se committentes exercitus sequerentur, — quod quin Athenienses mulieres

1) Nomen enim Philesia quod praeter Diogenem Suidamque, qui Φιλησίαν exhibent, non nisi Ionica forma Φιλησίη legi videtur (Anthol. app. ep. 259. C. I. G. III 6263), id argumentum satis probabile non existimo.

2) Wilamowitz, Antigon. v. Kar. p. 133: „Es versteht sich von selbst, dass Dinarch mit formellem Recht die Ehe, der Diodorus und Gryllus entsprossen sind, als Concubinat ansieht; denn das wird keiner glauben, dass das Weib, das dem Xenophon Anfang der 80 er Jahre die Söhne geboren hat, eine Athenerin war, und keinesfalls war die Ehe in Athen rechtsgültig." Equidem neque Xenophontis cum Philesia consuetudinem concubinatum a Dinarcho dictam esse video neque filios a. 389 vel 388 natos puto, neque Philesia unde orta sit, scio, neque cur matrimonium, quod exsul quis inierit, illegitimum sit, etiam cum ille in patriam revocatus sit, intellego.

3) Periclem legem tulisse, non antiquatam restituisse cum Grotio (H. of Gr. VIII c. 66) aliisque (cfr. Philippi l. l. p. 28 n 44)

non minus quam aliae fecerint, non dubium est. Itaque unde nata fuerit, parum constat.[1]) — Ex ea vero duos Xenophonti fuisse filios Diogenes testatur (II 52); quos ab ipsius parentibus Gryllum et Diodorum apellavit (cfr. p. 6). Quorum uter maior natu fuerit, traditum non est; priorem Gryllum Diogenes nominat, neque veri dissimile est, maiorem natu ab avo nomen accepisse; tamen cum Dioscuris iis cognomen datum sit, non absonum est conicere, hoc, quod fratres gemini essent, factum esse. — Aetatem autem filiorum constituere possumus. Primum enim a. 399 sibi filios nondum fuisse Xenophon testatur Anab. VII 6, 34; cum vero Scilluntem migraret, eum uxorem cum filios secum duxisse Diogenes narrat; itaque filios inter a. 399 et 387 natos esse apparet. Sed ex Anabasi et Plutarcho certiora etiam effici possunt. Refert enim Xenophon, se sacello Dianae aedificato (id quod post a. 384 factum esse infra probabimus) anniversarios dies festos cum vicinis celebrasse, hospitibusque suis et terrae fruges et vinum et venationem apposuisse, cum ipsius filii cum aequalibus venarentur (Anab. V 3, 10: *καὶ γὰρ θήραν ἐποιοῦντο εἰς τὴν ἑορτὴν οἵ τε Ξενοφῶντος παῖδες καὶ οἱ τῶν ἄλλων πολιτῶν, οἱ δὲ βουλόμενοι καὶ ἄνδρες συνεθήρων· καὶ ἡλίσκετο τὰ μὲν ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἱεροῦ χώρου, τὰ δὲ καὶ ἐκ τῆς Φολόης, σύες καὶ δορκάδες καὶ ἔλαφοι*). Itaque filiorum utrumque iam compluribus annis antequam Scillunte Xenophon expelleretur,

---

puto, cum haec rogatio et cum Clisthenis reipublicae constituendae rationibus pugnaret et ante Periclis tempora causa nulla esset, cur civitas Attica appeteretur; tum vero cum colonias mittere, stipendia iudicibus populoque contionario solvere coeptum est, frumentaque plebi dono data sunt, in civitatem irrepere coeptum esse videtur. Occasionem legis, quam non a Pericle primo latam esse putat, renovandae colonias a. 446 in Euboeam missas fuisse probabilissima Mueller-Struebingii coniectura est (Aristoph. etc. p. 87.) — Dunckerus nuper Periclis omnino legem fuisse negavit, qui eam non contra *νόθους* sed contra *παρεγγράφους* a Thucydide Melesiae filio latam esse censuit (Sitzungsber. d. Berl. Acad. 1883. p. 935).

1) Silentio praetereundum non est, quod G. Sauppius exhibet, qui in bibliotheca Escorialensi librum manuscriptum s. XIII exstare dicit inscriptum: „Vitae Xenophontis uxoris et filiorum" — qui quae contineat nescio. (cfr. G. Sauppe ed. tom. I praef. p. XII.).

aetate adeo valuisse apparet, ut venationibus interessent. Ut vero οἱ ἐκ παιδὸς ἤδη ἀλλάττοντες τὴν ὥραν venari inciperent, Xenophon ipse suadet (Cyneg II 1), quod, cum in Graecia celerius quam nostro sole pueri maturescant, in eos cadere existimo, qui tertium decimum fere aetatis annum agat. Cum autem apros venari non sine aliquo periculo sit, adulescentes non antequam quindecim fere annos nati essent, his quoque venationibus adesse coepisse existimo [1]; itaque cum sacra illa anniversaria essent filiosque plus semel, ut hospites bene exciperentur, venatos esse imperfecti usus doceat, utrumque duodeviginti annis minorem non fuisse apparet, cum a. 371 Scillus ab Eleis expugnaretur (cfr. p. 27); post a. 389 igitur nati esse non possunt. Sed etiam prius natos esse Plutarchus docet, qui narrat Ages. c. XX: Ξενοφῶντα δὲ τὸν σοφὸν ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ [Ἀγησίλαος] σπουδαζόμενον, ἐκέλευε τοὺς παῖδας ἐν Λακεδαίμονι τρέφειν μεταπεμψάμενον, ὡς μαθησομένους τῶν μαθημάτων τὸ κάλλιστον, ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν [2]). Hoc vero Plutarchus post saucii Agesilai ex pugna Coronensi reditum (cfr. c. XIX) et antequam ille Corinthum a. 391 proficisceretur (c. XXI cfr. Hell. IV 4, 19; Grote, H. of Gr. IX 470) factum esse commemorat, et per se verisimile est, Xenophontem illo tempore Spartam venisse. Itaque si inter a. 394 et 391 ille filios Spartam arcessivit, eos antea iam natos esse perspicuum est. Unde autem arcessiverit, Plutarchus non tradidit; sed Xenophontem in itinere alicubi Philesiam cum infantibus reliquisse probabile non est, immo cum a. 394 ex Asia cum Agesilao rediret, non secum duxisse videtur, itaque eos in Asia inter a. 399 et 394 natos esse existimo; certe non post a. 393/92 natos esse Plutarchus testis est, quare Wilamowitzium errasse apparet, qui eos circiter a. 389/8 lucem

---

1) Cyrum quo anno aetatis apros venantem Xenophon fecerit, neque satis constat (cfr. Cyrop. I 3, 1 cum 4, 8. 16), neque si tertio vel quarto decimo anno venantem fecisset, hinc pro nostra re aliquid efficeremus, cum Cyrum exemplar omnis virtutis excogitatum iam puerum magis quam ceteros homines valuisse fingere potuerit.

1) Filios Spartae educatos esse Diogenes quoque testatur laudato Diocle (II 54).

vidisse dicit l. l. — Si vero filios iam a. 398 vel 397 natos esse facimus, optime cum nostra ratione convenit, quod circa a. 392 Xenophon filios Spartam arcessivit, ut una cum Spartanis pueris educarentur; nam inde a septimo aetatis anno Spartae pueri publice educari incipiebant (Gilbert, Gr. Staatsalt. I 67.). Gryllus igitur cum a. 362 moreretur, tricesimum sextum fere aetatis annum agebat[1]), Diodorus tricesimum quintum. Huic filius fuit a fratre Gryllus appellatus, qui post pugnam Mantinensem natus esse videtur (Diog. II 52.). Sed tam Gryllo quam Diodoro iam antea filius esse potuit, quem Xenophontis Aeschyli adversarii patrem fuisse conicere quis posset. — At cum de huius Xenophontis origine traditum nihil sit, hoc quisque sibi, ut volet, persuadeat; ego fieri non posse contendo, ut Xenophontis, quem contra Dinarchus orationem composuit, pater eruatur, quare neque Grotio neque Wilamowitzio assentior (cf. p. 2 seq.) et quae Beckhusius de Xenophonte, Grylli filio, Isocratis discipulo sibi finxit, ea mera commenta dico.

§ 6. Xenophon Scillunte expulsus Corinthum se confert est ab Atheniensibus revocatur.

Sed ut per reliquam aetate Scillunte vitam securam degeret, Xenophonti non contigit. Elei enim Diogene et Pausania testibus[2]) exercitu contra oppidum profecti, cum Lacedaemonii non satis celeriter auxilium ferrent, expugnaverunt; quo facto Xenophon expulsus est. Quod quo anno acciderit, traditum quidem non est, sed fore ut coniectura assequamur, spero. Nam quas urbes a. 400 a Lacedaemoniis devicti Elei amiserant, Scilluntem dico, Marganen, Triphyliaeque oppida (Hell. III 2, 30. Grote H. o. Gr. IX 316 n),

---

1) Neminem assentientem habebit Bergkius, qui ab Heroda poeta Gryllum Xenophontis filium commemoratum vult (Her. frg. 1. Bergk. Poet. Lyr. Gr. II 509), cum Herodas multo posteriore tempore floruisse videatur (cfr. Meineke Anal. Alex. p. 399. Bernhardy Gr. Litt. Gesch. II[2] 1, 477.).

2) Diog. L. II 53: *φασὶν δὲ Ἠλείους στρατευσαμένους εἰς τὸν Σκιλλοῦντα βραδυνόντων τῶν Λακεδαιμονίων ἐξελεῖν τὸ χωρίον.* Paus. V 6: *οἱ δὲ Ἠλείων ἐξηγηταὶ κομίσασθαί τε αὖθις Σκιλλοῦντα Ἠλείους ἔλεγον.*

eas extremo a. 371, cum Athenis pax Antalcidea renovaretur[1]), suas esse dixerunt et ut liberae fierent recusaverunt. (Hell. VI 5, 2: Ἠλεῖοι δὲ ἀντέλεγον, ὡς οὐ δέοι αὐτονόμους ποιεῖν οὔτε Μαργανεῖς οὔτε Σκιλλουντίους οὔτε Τριφυλίους· σφετέρας γὰρ εἶναι ταύτας τὰς πόλεις). Itaque eo tempore Scillus et Triphyliae oppida Eleorum in potestate erant. Eleos vero antequam Lacedaemonii magnam aliquam cladem accepissent, contra eos rebellare non ausos esse probabile est, itaque post pugnam Leuctricam et antequam Athenienses civitates Peloponnesiacas ad pacem renovandam invitarent i. e. autumno a 371, Triphyliae oppida expugnata esse videntur. Cuius quidem belli quod praeter Diogenem et Pausaniam nemo mentionem fecit, mirandum non est, cum maiores quoque calamitates, quae Lacedaemoniis acciderunt, Xenophon silentio praeterierit; Scilluntem certe ab Eleis in potestatem redactam esse non commemoravit. — Haec vero sententia ea re confirmatur, quod cum hieme a. 370/69 Thebani primum in Peloponnesum incursionem facerent (Grote X 294. Curtius III ^{5} 327), Elei iam illis consociati erant (Hell. VI 5, 30), et quod Elei a. 368 illas urbes ad Arcadas defecisse dixerunt (Hell. VII 1, 26), quod facere non potuerunt, nisi inter a. 400 et 368 eas in suam potestatem redegerunt. Accedit, quod Diogenes Lacedaemonios sive diutius moratos esse sive sero auxilio venisse dicit (Diog. l. l. βραδυνόντων Λακεδαιμονίων); postquam enim a 370 Megalopolis condita, hiemeque insequenti Messenia libera restituta est (Grote X 319 n. 5; Curtius III 321. 330) illi de auxilio ferendo ne cogitare quidem potuerunt, cum duabus viis, quae Scilluntem ferunt, prohibiti essent. Itaque Grotio (Platon III 567) qui paulo ante pugnam Mantinensem Xenophontem expulsum esse dicit, assentiri non possum, neque Kruegerum (Stud. II 281) Nitschiumque (Hell. p. 54) sequor,

1) Hellen. VI 5, 1: ἐπεὶ Ἀρχίδαμος ἐκ τῆς ἐπὶ Λεῦκτρα βοηθείας ἀπήγαγε τὸ στράτευμα. Leuctricam pugnam quinto die mensis Hecatombaeonis (= 7 d. m. Julii Ideler Chronol. I 385. [die 7 o. mensis Augusti. Mommsen] cfr. Ascherson Arch. Ztg. 1856 p. 264) commissam esse Plutarchus Ages. c. 28. testis est. Itaque autumno vel hieme eius anni Athenas conventum esse videtur cfr. Grote X 274. Curtius III ^{5} 370.

qui post illud concilium Scilluntem expugnatam putant,[1]) sequor, sed autumno a. 371 post pugnam Leuctricam et antequam legati civitatum Athenas convenerunt, oppidum in Eleorum potestatem redactum Xenophontemque expulsum esse censeo.

Scillunte expugnata quo Xenophon se contulerit, his verbis Diogenes narrat: ὅτε τοὺς υἱέας αὐτοῦ εἰς Λέπρεον ὑπεξελθεῖν μετ' ὀλίγων οἰκετῶν, καὶ αὐτὸν Ξενοφῶντα εἰς τὴν Ἦλιν πρότερον, εἶτα εἰς Λέπρεον πρὸς τοὺς παῖδας, κἀκεῖθεν σὺν αὐτοῖς εἰς Κόρινθον διασωθῆναι καὶ αὐτόθι κατοικῆσαι [ὁ Δείναρχός φησιν]. Atque filios quidem Lepreum confugisse probabile est, cum Lacedaemoniorum finibus id oppidum propius, ab Eleis remotius esset et antiquitus Lacedaemoniorum partibus faveret (cfr. Busolt, D. Lacedaemonen und ihre Bundesgenossen I 131) et postea quoque a. 370 illis contra Mantinenses auxilia mitteret (Hell. VI 5, 11). At quis ex urbe ab Eleis expugnata ipsorum Eleorum in urbem confugit? Hoc nunquam animum inducere potui, quamquam Nitschius (l. l. p. 48) eum lege cum Eleis agere voluisse dicit, cui Wilamowitzius assentitur, qui Xenophontis querelam Elim delatam irritam fuisse arbitratur (l. l. p. 332). Sed inter. arma silent leges et Xenophontem ipsius cum periculo aufugisse (διασωθῆναι) Diogenes dicit II 53; itaque neminem adhuc in hoc loco offendisse miror. Variam lectionem vero Menagius quidem et Dindorfius, qui Diogenes vitam Xenophontis Anabaseos editioni addidit, nullam exhibent. Sed in optimo codice Neapolitano Nationali 253, ἥλην, in Laurentiano 68, 28 ἧλιν legitur, quod C. Wachsmuthius summa cum facilitate ad Ruehlium scripsit, itaque εἰς τὴν Ἦλιν codicum quoque auctoritate caret. Ἥλη vero oppidum cum nusquam legatur, quid substituendum sit dubitari potest. Quae enim urbs neque a Scillunte ita magno spatio dictat et in via, qua ex Pisatide Spartam proficiscuntur, sita

1) Neminem assentientem habebit E. Curtius (Gr. Gesch. III[5] 498) qui Xenophontem a 36 5/4, cum Elei contra Arcades bellum gererent, Scillunte excidisse putat, cum Elei eo tempore cum Lacedaemoniis foedere iuncti eas urbes aggredi non possent, quas a. 400 illis cesserant (Hell. VII 4, 19).

est et Lacedaemoniis fidem servavit, etiam cum ceterae Arcadiae civitates ab iis defecissent (Hell. VI 5, 25) — Heraeam dico, eius nomen ab iis quae Neapolitanus exhibet, nimium recedere videtur, quamquam *αι* et *η* saepe in codicibus mutantur. Itaque *εἰς τὴν Ἡραίαν* scribendum esse non contendo[1]), sed satis habeo constituisse, eorum sententiam, qui Xenophontem Elim confugisse dicunt, neque probabilem esse neque antiquitatis testimoniis niti. — Deinde eum Lepreum ad filios atque cum iis Corinthum profectum esse Dinarchus testis est l. l.; Nitschius vero quod sibi persuasit, qui eum antequam Corinthum iret, Spartam venisse atque Agesilai expeditionis contra Mantineam urbem a. 370 susceptae socium fuisse putat, id absonum quidem non est, sed Hell. VI 5, 10—21 non satis probatur. Corinthi autem usque ad extremum vitae diem commoratus esse videtur, cum eum hac in urbe ex vita discessisse Diogenes Demetrii Magnetis auctoritate nisus referat (II 56 cfr. II 53 *ἔπεμψε τοὺς παῖδας εἰς τὰς Ἀθήνας*). Quae enim a Pausania V 6, 6 tradita sunt, qui exegetarum Eleorum testimonio adhibito Xenophontem venia ex Olympici senatus iudicio impetrata Scilluntem rediisse ibique diem supremum obiisse narrat[2]), ea ab Eleis ad invidiam clarissimi scriptoris expulsi minuendam ficta esse videntur (Kruger. Stud. II 276. Letronne l. l. p. 382. Grote, Platon III 568. H. of Gr. IX 246 n. 1), cum non iudicum sententia ille excidisset, sed oppido expugnato *φιλολάκων* aufugisset.

Brevi vero tempore postquam Corinthum transmigravit, cum patria in gratiam rediisse videtur. Et rediisse quidem

---

1) Proxime ad ea, quae Neapolitanus exhibet, *Ὕλη* accederet, sed eius nominis oppidum in Peloponneso nullum invenitur. — *Ἕλος* in Elide commemoratur a Strabone p. 129 Kr. Curtius, Peloponnes II 114, 47.

2) Paus. V 6, 6: *Οἱ δὲ Ἠλείων ἐξηγηταὶ κομίσασθαί τε αὖθις Σκιλλοῦντα Ἠλείους ἔλεγον καὶ Ξενοφῶντα ὅτι ἔλαβε παρὰ Λακεδαιμονίων τὴν γῆν, κριθῆναι μὲν ἐν τῇ Ὀλυμπικῇ βουλῇ, τυχόντα δὲ συγγνώμης παρὰ Ἠλείων ἀδεῶς ἐν Σκιλλοῦντι οἰκῆσαι. καὶ δὴ καὶ ὀλίγον ἀπωτέρω τοῦ ἱεροῦ μνῆμά τε ἐδείκνυτο καὶ τῆς Πεντέλησίν ἐστι λιθοτομίας εἰκὼν ἐπὶ τῷ τάφῳ· εἶναι δὲ αὐτὸ Ξενοφῶντος λέγουσιν οἱ προσοικοῦντες.* — Apparet igitur, nomen Xenophontis illi sepulcro inscriptum non fuisse.

praeter Istri testimonium (Diog. II 59; cfr. p. 20) libelli de Vectigalibus et de Officiis Magistri Equitum extrema aetate compositi probant, quibus Atheniensium reipublicae et omnino amicum se praebet et cum interdum Athenienses loquens prima persona pluralis utatur, se ipsum Atheniensem dicere videtur (de Vectig. II 2 *ἀφέλοιμεν*; 5 *δοκοῦμεν*; 7 *καθισταῖμεν*, cfr. IV 39. V 6.) Itaque Xenophontem revocatum esse constat, atque a. 369, quo tempore Athenienses Thebanis invidentes consilium Lacedaemoniis auxilium mittendi inierunt (Hell. VI 5, 49; Grote, H. of Gr. X 320 sqq.) revocatum esse probabile est. Quod Athenienses non propter scriptoris gloriam fecerunt, sed ab optimatibus commoti, qui Callistrato principe foederi cum Lacedaemoniis ineundo operam dabant. Eubulo vero, quem revocandi Xenophontis auctorem fuisse Ister dicit, cum eo familiaritatem intercessisse existimo, cum ille Thebanis faveret (Demosthen. de corona 162 p. 281, 17; cfr. Schaefer, Demosthenes u. s. Z. I 165), quibus Xenophontem infensissimum fuisse ex Hellenicis perspicuum est.[1])

Quamquam vero revocatus est, tamen Athenas rediisse non videtur; certe non diu ibi commoratus est, cum a. 362 foedere ab Atheniensibus cum Lacedaemoniis icto filios Athenas missos esse Diogenes II 53 referat. Qui inter equiter Athenienses stipendia merentes proelio equestri paulo ante pugnam Mantinensem commisso, quo Mantinea urbs a Thebanorum expugnatione servata est (Plut. de glor. Athen II 346) adfuerunt, atque alter Diodorus nulla re memorabili gesta ex pugna evasit, Gryllus fortiter dimicans interfectus est. (Ephor. ap. Diog. L. II 53 sq; frg. 146 a. Mueller.) Pausa-

1) Nitschius cur Xenophontem a. 369 ab Atheniensibus revocatum esse neget (Abf. d. Hell. p. 49), non intellegitur. Qui propter merita filiorum, quos illo tempore inter Corinthiorum equites stipendia meruisse et cum Iphicrate ad Isthmum profectos esse putat, patrem revocatum esse sibi persuasit. Quod neque per se versimile et propterea improbandum videtur, quod facultasne fuerit metoecis inter equites Corinthiacos stipendia merendi, dubium est. Athenis certe non fuit, quo tempore Xenophon Hipparchicum componeret, Spartae *ἐν ὀλιγανθρωποτάτῃ πόλει* post pugnam Leuctricam fortasse data est, cum quadringenti cives interiissent (Xen. Hipparch. IX 4.)

nias vero quod exhibet, qui a Gryllo Epaminondam vulnus mortiferum accepisse dicit (Paus. VIII 11, 6; IX 15, 5), id cum Plutarchi testimonio non minus quam cum ipsa rerum ratione pugnat; neque enim Epaminondas illi proelio equestri ipse interfuit (Hell. VII 5, 14), neque in ipsa pugna Mantinensi Atheniensibus se opposuit, sed contra Lacedaemonios inter gravis armaturae pedites pugnavit (Hell. VII 5, 23) et ab Antipatre Spartano, cui nomen Machaerioni fuisse videtur, occisus est. (Plut. Ages. 35 cfr. Corn. Nep. V. Epam. IX.). Itaque ex Euphranoris pictura (Plut. Glor. Ath. II p. 346. Paus. IX 15, 5. VIII 11, 6), qua ille duces fortasse Atheniensium Thebanorumque equitum pugnantes fecit, Atheniensium iactatione illum errorem ortum esse Schaeferus summa cum probabilitatis specie coniecit (Demosthenes III 2, 10 sqq.)[1]).

§ 7. Xenophon quo anno mortuus esse videatur.

De Xenophontis morte haec tradit Diog. II 56: *Κατέστρεψε δὲ καθ' ἅ φησι Στησικλείδης ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων καὶ Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφῇ, ἔτει πρώτῳ τῆς πέμπτης καὶ ἑκατοστῆς Ὀλυμπιάδος* (i. e. a. 460/59 a. C. n.) *ἐπὶ ἄρχοντος Καλλιδημίδου, ἐφ' οὗ καὶ Φίλιππος ὁ Ἀμύντου Μακεδόνων ἦρξεν.* — Quae quamvis diligentem scriptorem redolere videantur, tamen vera non sunt; cum enim et Hellenicorum liber sextus non prius quam a. 357 compositus sit, et libellus de Vectigalibus ipso a. 355 conscriptus, Xenophontem ultra a. 355 vitam produxisse oportet. (cfr. §§ 15 et 22.) Verumtamen Alfredi de Gutschmid coniecturam sagacissimam secuti[2]) non Stesiclidi fidem abrogabimus, sed quae recte ille tradidit, ea sive a Diogene sive ab eius auctore pessime corrupta existimabimus. Cum enim *ἀναγραφὴν τῶν ἀρχόντων καί Ὀλυμπιονικῶν* ille composuerit, errorem inde ortum esse pro-

---

1) Quam Diogenes narrat Xenophontis vocem, qui eum, cum nuntium de filii morte accepisset, exclamasse dicit: „Scivi mortalem a me genitum esse (Diog. II 54), ea Anaxagorae quoque Solonique tribuitur (Diog. II 13).

2) Hanc coniecturam Gutschmidius scholis docet et ut publici iuris facerem summa qua solet liberalitate mihi permisit.

babilissimum est, quod tam Ol. 105 quam Ol. 106 Porus quidam Olympia vicit (Euseb. I 205 seq. Schoene), sive eundem fuisse recte Eusebius l. l. tradiderit, sive alterum Cyrenaeum, alterum Μαλιέα fuisse Diodorus XVI 2 et 15 iure suo contenderit.[1]) Itaque si, quae Ol. 106 acciderunt, ea in Ol. 105 translata esse putamus — id, quod in Eusebii quoque libro non raro accidit, qui e. g. Xenophontem non Ol. 94,4 = a. 401 a. C. n. = sed Ol. 95, 4 = a. 397 floruisse dicit (Euseb. II p. 110 ed. Schoene) — Xenophontem Ol. 106 i. e. inter a. 356 et 352 a. C. n. naturae satisfecisse verisimile est. Cum vero a. 355 libellum de Vectigalibus composuerit, a. 354 mortuus esse videtur. Hoc enim anno ut eum ex vita decessisse existimemus, altera quoque ratione commovemur: nam 'Xenophontem ultra annum nonagesimum vitam produxisse a Ps.-Luciano Macrob. 21 tradi supra commemoratum est p. 7. Quod incredibile est, si Macrobiorum scriptor eum circa a. 430 natum esse existimavit; nullum enim in Xenophontis scriptis vestigium est, quo eum usque ad a. 340 vixisse demonstretur. Si vero ille Strabonis sententiam secutus Xenophontem pugnae Deliensi interfuisse arbitratus est et a. 354 mortuum esse scivit, eum ὑπὲρ τὰ ἐνενήκοντα γεγονότα animam efflasse iudicare potuit. — Adde, quod melius et magis pro genere operis a Stesiclide Philippi regis mentio facta est, si ab illo traditum esse putamus, Xenophontem Ol. 106 diem supremum obiisse (quod enim primo eius Olympiadis anno eum mortuum esse dicit, ei rei non magna auctoritas tribuenda erit). Nam Ol. 106 Philippus Olympiae ἵππῳ κέλητι victoriam reportavit. (Plut. Alex. 3. Consol. ad Apoll. VI p. 105 a.)

Archontis Callidemidis nomen corruptum et Callimedes scribendum esse videtur, cum Diodorus XVI 2 et Dionysius Hal. de Dinarch. 9 archontem Ol. 105, 1 Callimedem vocent, Diogenesque scriptor neglegentissimus sit (Benseler Lexic. d. gr. Eigennamen s. v; Wilamowitz. Antig. v. Kar. p. 355

1) Pausanias X 2, 3 errasse videtur, qui Ol. 105 Prorum Cyrenaeum victoriam reportasse dicit.

n. 20.). Contra non est, cur cum Wilamowitzio l. l. pro Stesiclide *Κτησικλείδης* i. e. *Κτησικλῆς* scribamus, quem Athenaeus *Χρόνους* composuisse dicit (VI 272 b. X 445 d); nihil enim proficimus, si pro scriptore semel laudato alterum introducimus, cuius bis mentio fit, praesertim cum ne librorum quidem nomina eadem sint.

Pergit Diogenes l. l. his verbis: *τέθνηκε δὲ ἐν Κορίνθῳ, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης, ἤδη δηλαδὴ γηραιὸς ὤν.* Cuius testimonio cur fidem abrogemus, non est, cum quae Pausanias de Xenophonte ab Eleis revocato et Scillunte mortuo tradit, ea ab Eleis ficta videantur (cfr. p. 29). — Quid de Xenophontis aetate Demetrius censuerit, ex hoc loco non apparet, cum et septuagenarius et nonagenarius apte *ἤδη δηλαδὴ γηραιὸς ὤν* appelletur.

Restat, ut tabellam chronologicam addam, qua vitae Xenophontis tempora complectar:

cc. a. 430. Nascitur Xenophon.

430—401. Athenis versatur.

Socratem fortasse inde ab a. 410 sectatur.

401—394. In Asia versatur.

401/0. Ad Cyrum proficiscitur, contra regem Persarum arma fert, Graecos ad Pontum reducit.

399. Apud Seuthem in Thracia stipendia meretur, exercitum in Asiam reducit et Thibroni tradit. Uxorem ducit Philesiam.

399—396. Cum Thibrone et Dercyllida, Lacedaemoniorum ducibus contra Persas bellum gerit.

396. Agesilai regis exercitui praefecti amicus fit.

394—387. Agesilai expeditionum in Graecia susceptarum socius est.

394. Cum Agesilao in Europam redit, in pugna Coronensi contra cives suos arma fert, Athenis damnatur.

387—371. Scillunte versatur.

384. Megabyzus pecuniam a. 394 depositam reddit, Xenophon sacellum Dianae Ephesiae aedificandum curat et dies festos instituit.

371 autumno. Ab Eleis Scillunte expellitur.

370—354. Corinthi commoratur.
369. Revocatur ab Atheniensibus.
362. Gryllus filius moritur.
354. Xenophon Corinthi moritur.

II.

§ 8. De Demetrii catalogo Xenophontis scriptorum.

Iam transeo ad alteram disputationis meae partem, quae in temporibus, quibus singulos libros Xenophon composuerit, quantum possumus circumscribendis versabitur. Ac primum quidem quae a Xenophonte scripta tradita sint, breviter percurrendum est. Qua de re Diogenes Laertius Demetrium Magnetem secutus[1]) haec docet (II 56): *Συνέγραψε δὲ βιβλία πρὸς τὰ τετταράκοντα, ἄλλων ἄλλως διαιρούντων· τήν τ' Ἀνάβασιν, ἧς κατὰ βιβλίον μὲν ἐποίησε προοίμιον, ὅλης δ' οὔ· καὶ Κύρου παιδείαν καὶ Ἑλληνικὰ καὶ Ἀπομνημονεύματα· Συμπόσιόν τε καὶ Οἰκονομικὸν καὶ περὶ ἱππικῆς καὶ Κυνηγετικὸν καὶ Ἱππαρχικόν, Ἀπολογίαν τε Σωκράτους καὶ περὶ πόρων καὶ Ἱέρωνα ἢ Τυραννικόν, Ἀγησίλαόν τε καὶ Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων Πολιτείαν, ἥν φησιν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος.*

Itaque si duas Respublicas unum opus in duos libros divisum facimus, — quae Demetrii sententia fuisse videtur, cum non *Πολιτείας*, sed *Πολιτείαν* eas dicat, — quattuordecim Xenophonti scripta vindicantur, quae triginta septem libros continent. Veteres vero homines docti Historiam Graecam non modo qualem nos legere solemus in septem libros distributam legisse videntur, sed alteram quoque editionem habuisse, qua in novem libros divisa esset (cfr. Schaefer, Jahrb. f. Philol. t. 101, 527. C. Wachsmuth, Rh. Mus. 34, 334. Harpocrat. s. v. *Πενέσται.*) Fortasse iam ab veteribus Xenophontis scripta duobus corporibus, quorum alterum sedecim Hellenicorum Anabaseosque libros, alterum

1) Nietzsche Rhein. Mus. XXIV 181.

reliqua Ξενοφῶντος ῥήτορος scripta contineret, comprehendere atque singulos libros continuis numeris designare coeptum est (Birt, Antikes Buchwesen p. 448. Ruehl, Jahrb. f. Philol. t. 127, 736. Steph. Byz. s. v. Ὄλουρος). Itaque cum novem Hellenicorum libris computatis undequadraginta Xenophontis scripta exhibeantur, iure suo Demetrium et πρὸς τὰ τετταράκοντα βιβλία ab eo composita esse et opera eius ὑπ' ἄλλων ἄλλως διαιρεῖσθαι dixisse apparet.

Quos vero Demetrius Xenophontis libros commemoravit, ii omnes quidem aetatem tulerunt, sed non omnes a Xenophonte scripti esse videntur; immo Atheniensium respublica, Apologia Socratis, Agesilaus ab eo aliena iudicandi. Quare primum de aetate scriptorum Xenophontis quorum duo libri historici sunt, quattuor dialogi Socraticique libri, quinque opuscula venatica, equestria, politica, unus eius generis libris attribuitur, quos nostri fabulas Romanenses vocant, quamquam a Graecarum fabularum Romanensium genere nimium quantum recedit, nobis agendum; deinde cur tres illi libri a Xenophonte abiudicandi esse videantur, demonstrandum est.

§ 9. De particulae μήν apud Xenophontem usu.

Si quo tempore singulos libros Xenophon composuerit, quaerimus, duae sunt viae ac rationes, quibus in tali re uti possumus; quarum altera certior atque brevior videtur, altera ambigua magis atque laboriosa. Nam aut iis, quae in singulis libris comprehenduntur, aetatis testimoniis collectis quo tempore singulos Xenophon composuerit, circumscribere possumus, aut librorum genere dicendi quam maxime diligenter accurateque comparando constituere, quo ordine ille libros scripserit. Et illa quidem absoluta, ut ita dicam, determinandi ratione usus Boeckhius libellum de vectigalibus a. 355 scriptum esse constituit, neque minus eadem adhibita Historiam Graecam post. a. 357 confectam esse iam diu demonstratum est. Sed in multis Xenophontis libris aut omnino aetatis testimonia deesse videntur aut quomodo quae in iis legantur interpretanda sint, magna dissensio est. Quare altera quoque determinandi ratione

utendum esse Ruehlius primus vidit, qui litem quae de Cynegetici aetate inter viros doctos est, vix alio modo dirimi posse dixit, ac Xenophontis librorum dicendi genere comparando (Zeitschr. f. d. Oesterr. Gymn. XXXI 411.) Atque hanc viam ingressus Dittenbergerus (Hermes XVI 321 sq.) usus est particula μήν, ut quo ordine Platonis Xenophontisque libri compositi essent, constitueret. Qui cum perraro μήν in antiquioris aetatis scriptorum libris, velut Thucydidis et Antiphontis, legi, in Atheniensium republica, qui antiquissimus habetur Attici sermonis libellus soluta oratione compositus, vel omnino non esse, frequentius vero apud Platonis aequales Lysiam, Isocratem, Xenophontem inveniri, atque ipsius Platonis dialogos usu particulae multum inter se differre animadvertisset, quos dialogos priores, quos posteriores ille composuerit, hac ratione constituere conatus est. Cum enim in multis Platonis scriptis καὶ μήν et ἀλλὰ μήν, nunquam autem γὲ μήν, τίς μήν, ἀλλὰ (τίς) μήν legantur, quae in aliis eius libris hic illic, in nonnullis vel frequentius inveniuntur, illa scripta priori, haec posteriori aetati tribuenda esse censuit. Neque enim ut hoc argumento ad dialogos Platoni aut vindicandos aut eripiendos utamur, fieri potest, cum in utraque parte libri sint, quos nemo ab eo abiudicandos esse censebit, neque ut tam diversum scribendi genus dialogis plus minus agitatis tribuamus, cum in utraque sint agitatissimi. Atque Dittenbergerus illos libros ante a. 388, quem circiter annum Plato in Siciliam primum profectus est, hos postea scriptos esse putavit; qua de re ego iudicium ferre non ausus ad Xenophontem redeo. Apud quem similia ille atque etiam magis conspicua quam apud Platonem animadvertit; nam in eius scriptis quattuor aetates distingui posse dixit. In Cynegetico enim et prima Hellenicorum parte[1] omnino μήν non legitur, ita ut hi libri optime cum republica Atheniensium comparentur; deinde ἀλλὰ μήν quidem et καὶ μήν, sed nunquam γὲ μήν in Oeconomico inveniuntur, qui unus ex Xenophontis scriptis Platonis priori

1) Hellenicorum primam partem priores duos libros usque ad II 3, 10, alteram eos, qui sequuntur, usque ad V 1, 36, tertiam reliquos libros complecti, infra demonstrabimus.

aetati respondet; tum aliquanto frequentius μήν, atque etiam γὲ μήν in Memorabilibus, Hierone, Convivio, Hellenicorum parte altera, Anabasi, Cyropaedia invenitur; quartae denique aetati libellos de vectigalibus et de re equestri, Hipparchicum, Lacedaemoniorum rempublicam, Hellenicorum tertiam partem, [Agesilaum] dedit, in quibus γὲ μήν multo saepius quam ἀλλὰ μήν et καὶ μήν legitur, atque in brevibus illis commentationibus adeo frequenter, ut taedium legentium moveatur.[1]) Num inter eos libros, quos tertiae aetati attribuit, certus ordo constitui possit, dubitavit quidem Dittenbergerus, tamen inter eiusdem generis scripta constituere conatus Symposium post Memorabilia, Cyropaediam post Hellenicorum partem secundam et Anabasim (quam Hellenicorum altera parte posteriorem esse Nitschio concessit) scriptam esse censuit. Qua in re duobus ille argumentis usus est. Primum enim eos libros, in quibus μήν cum pronomine interrogativo coniunctum est, aliis eiusdem generis scriptis posteriores esse censuit, cum apud prioris aetatis scriptores τίς μήν raro legatur; deinde Convivium post Memorabilia compositum esse existimavit propterea, quod in his γὲ μήν multo rarius legitur quam ἀλλὰ et καὶ μήν (sexies enim invenitur γὲ μήν in Memorabilibus, duodetricies ἀλλὰ μήν, sexies et vicies καὶ μήν), in illo saepius γὲ μήν quam ἀλλά et καὶ μήν (tredecies enim legitur γὲ μήν, quater ἀλλὰ μήν, novies καὶ

1) Silentio praeterire nolo, ante Dittenbergerum Beckhausium quantum inter se Xenophontis libri usu particulae γὲ μήν differant animadvertisse, (De Agesilao, qui fertur Xenophonteo p. 35). Sed nullius plane momenti sunt, quae ille disputavit, cum sine ulla diligentia locos, quibus γὲ μήν legatur, collegerit; velut Convivii quinque locos exhibet, cum γὲ μὴν tredecies legatur, Cyropaediae l. II duos, cum septies. — Deinde Naumannus diligenter atque accurate collegit (De Xen. libello qui Λακ. πολ. inscrib. p. 49), qui qua editione usus sit quod non aperuit aegre fero, cum γὲ μήν Oecon. 17, 8 legi affirmet, quo in libro neque Dittenbergerus legit neque ego comparatis edition Dindorfii (Lipsiae 1824), Sauppii Breitenbachii, Schenkelii illam particulam inveni. — Naumannum fugisse videtur, quod οὐ μήν legitur Cyrop. I 4, 8; II 2, 15; V 4, 11; γὲ μήν Hell. II 3, 33; III 1, 7 ut minora praeteream. — Hell. VI 6, 13 ubi ille οὐ μήν legit, quid sit, nescio, cum sextus liber quinque modo capita contineat.

μήν). At Dittenbergerum, quo in Convivio usus est argumento, eodem in Hellenicorum altera parte uti noluisse miror; nam in illa quoque γὲ μήν multo frequentius quam ἀλλὰ μήν et καὶ μήν occurrit (quindecies enim γὲ μήν, quinquies καὶ μήν, bis ἀλλὰ μήν invenitur), cum in Anabasi aliquanto rarius inveniatur (sexies enim γὲ μήν, decies ἀλλὰ μήν, ter καὶ μήν in Anabasi legitur); itaque si constare sibi voluit, Anabasim ante Hellenicorum alteram partem compositam esse censere debuit. Sed eum plus quam concedendum est, Nitschio concessisse puto, qui Hellenicorum p. II a. 384 scriptam esse demonstrare studuit; Anabasim enim post a. 380 compositam esse constat. At Nitschii illam sententiam aliis de causis suspectissimam esse infra demonstrabimus; hic ex particulae μήν usu argumentum duci non posse statuamus, quo Anabasim ante Hell. partem II scriptam esse probetur.

§ 10. De reliquarum particularum usu.

Atque cum quae Dittenbergerus disputasset, ea mihi ad rem propositam summi momenti esse viderentur, eius sententiam argumentis ex aliarum particularum usu ductis aut confirmandam aut refutandam esse animum induxi. Quare locos, quibus μήν, οὖν, δή, τοί etc., πέρ etc., γέ, τέ[1]) ἄρα, δήπου, αὖ leguntur, ex omnibus Xenophontis scriptis collegi, eos, quibus δέ invenitur, per scripta minora recensui, — quod ne ridiculum videatur, vereor quidem, tamen non sine aliquo lucro fecisse mihi videor. Cum vero omnes illos locos enumerare longius quam utilius sit, duas tabellas exhibeo, quarum prima quoties illae particulae in singulis scriptis et solae et compositae legantur, demonstretur, altera, quibuscum aliis particulis singulae coniungantur. Paginarum summas secundum G. Sauppii editionem stereotypam addidi.[2])

---

1) Neglexi ἄλλως τε καί, οἷός τέ εἰμι, ἐφ' ᾧτε, ἅτε.

2) Usus sum Breitenbachii ed. Hellenicorum, Rehdantzii ed. Anabaseos, Hertleinii ed. Cyropaediae, Sauppii edd. Memorabilium et Scriptorum minorum.

	Summae paginarum	μήν										
		γὲ μήν	καὶ μήν (—γέ)	ἀλλὰ μήν (—γέ)	ἀλλὰ τίς μήν	τίς (πῶς) μήν	οὐ (δέ) μήν	ἦ μήν	μήν	οὖν	μὲν οὖν	
Cynegeticus	29	—	—	—	—	—	—	—	—	18	24	-
Lacedaem. resp. . . .	17	26	3	1	—	—	2	—	—	10	3	-
Hipparchicus	19	24	2	3	—	—	1	—	—	5	6	-
Vectigalia	$12^1/_2$	16	6	6	—	—	—	—	—	3	4	-
Res equestris	22	41	4	—	—	—	2	—	—	6	7	-
Oeconomicus	56	—	—	2	—	—	1	1	—	35	8	
Memorab.	114	6	26	28	—	—	4	—	—	74	24	2
Hiero	19	4	2	4	—	1	—	—	—	11	7	-
Convivium	29	13	9	4	3	—	3	1	—	20	10	
Hellenicor. p. I . . .	35	—	—	—	—	—	—	—	—	5	9	.
Anabasis	184	6	3	10	—	—	5	6	—	122	41	
Hell. p. II	90	15	5	2	—	—	1	4	—	41	24	.
Hell. p. III	97	24	12	4	—	3	—	2	1	31	46	.
Cyropaedia	254	16	10	12	2	4	9	10	—	148	67	
Athen. resp.	10	—	—	—	—	—	—	—	—	9	5	-
Apologia	$6^1/_2$	4	—	—	—	—	—	—	—	—	2	-
Agesilaus	24	36	2	8	—	—	2	1	1	10	7	-

	οὐκοῦν	οὔκουν	ὅστισοῦν etc.	δ' οὖν
-	—	—	—	-
2	—	—	1	
-	1	—	—	-
-	5	—	1	-
-	—	—	—	-
-	25	5	1	-
2	77	4	5	
-	4	—	1	-
-	14	2	1	-
-	1	—	—	
5	9	5	1	
-	4	—	—	
-	6	—	—	
1	24	8	13	
-	—	—	1	
-	1	—	—	
5	—	—	—	

I.

	Summae paginarum	μήν	οὖν	δή	γέ	τοί etc.	πέρ	τέ	δέ	δήπου	ἄρα	ἄν
Cynegeticus	29	—	42	5	8	3	7	39	535	—	1	—
Lacedaem. resp. . . .	17	32	19	17	38	18	21	28	185	3	—	11
Hipparchicus	19	30	12	6	52	21	15	47	213	1	1	15
Vectigalia	12½	28	18	7	42	8	21	32	125	6	—	8
Res equestris	22	47	14	12	48	16	43	82	278	2	1	15
Oeconomicus	56	4	105	72	132	64	66	133	453	9	19	18
Memorab.	114	64	277	56	280	83	105	469	1003	15	41	11
Hiero	19	11	28	25	57	17	22	43	206	7	1	5
Convivium	29	33	75	50	83	43	48	71	268	9	2	11
Hellenicor. p. I . . .	35	—	15	7	7	3	11	99	505	—	—	1
Anabasis	184	30	206	163	92	96	123	376		6	11	24
Hell. p. II	90	27	76	88	60	102	86	246		10	5	41
Hell. p. III	97	46	97	123	70	122	65	270		6	3	43
Cyropaedia	254	63	316	420	283	206	320	552		18	30	95
Athen. resp.	10	—	16	6	3	11	4	15	123	—	1	5
Apologia	6½	4	3	6	8	9	6	9	59	3	—	—
Agesilaus	24	50	26	19	55	22	23	49	308	—	1	10

Singulas iam particulas breviter, si placet, perlustremus. Ac mitto quidem *μήν*, de qua supra uberrime actum est, et quomodo Xenophon particula *οὖν* per singulos libros utatur recenseamus. Atque in libello de Venatione nec non in prima Hellenicorum parte genus dicendi multo minus variatum esse, quam in ceteris scriptis omnibus, iam apparet. Nam cum in Cynegetico potissimum *οὖν* et *μὲν οὖν* persaepe legantur, *γοῦν*, *δ'οὖν*, *οὐκοῦν*, *οὔκουν*, *τοιγαροῦν*, *ὁστισοῦν* et quod in eiusmodi generis libro nemo mirabitur, *ἄρ' οὖν*, *τίς οὖν*, *πῶς οὖν* prorsus desunt. Quae singula quidem magni momenti non essent, sed cum omnia in eodem libello et in eo occurrant, quo Xenophon saepius quam in ulla alia commentatione — cum dialogis enim et libris historicis, quibus orationes insertae sunt, illae comparari non possunt — hac particula usus est, neglegenda non esse videntur. In Hellenicorum vero prima parte *οὐκοῦν* quidem semel (in Euryptolemi oratione I 7, 31) legitur, omnino autem *οὖν* rarius quam in Cynegetico invenitur. Quod mirum posset videri, cum hic liber Cynegetico usu particularum maxime propinquus sit, nisi Xenophon in eo de rebus gestis disserere nunquam aggressus enarrare ea, quae evenissent, satis haberet. — A Xenophontis usu sermonis abhorrere videtur Agesilaus, qui quinquies exhibet *τοιγαροῦν*, et id nunquam in illis, quae ex Xenophontis Hellenicis deprompta sunt (I 4. 38; VI 8; VIII 8; XI 15); quae particula per omnes Xenophontis libros non plus quam quater decies legitur (Hell. VII 1, 31; Anab. I 9, 9. 15. 18; II 6, 20; V 8, 22; Cyrop. V 4, 36; VIII 1, 33. 39; 8, 7; Apomn. III 5, 12; IV 6, 15; Lac. resp. VI 4; XIV 6.).

Quod cum particulas *μήν* et *οὖν* percenseremus, intelleximus, libellum de Venatione et primam Hellenicorum partem a ceteris Xenophontis scriptis particularum usu multum differre, id particulae *δή* usu confirmatum videmus: quae raro legitur in illis, frequenter occurrit in ceteris; atque in illis non modo *δὲ δή*, *γὲ δὴ* etc. nusquam leguntur, sed ne *μὲν δὴ* quidem, quod sexcenties in ceteris atque inprimis in libris historicis, cum Xenophon ad novam rem his fere verbis transire soleat: *ὁ μὲν δὴ περὶ ταῦτα ἦν, οἱ δε* . . .

Inaudita vero in illis libris essent, quae in extremae aetatis scriptis leguntur μὲν οὖν δὴ καὶ (ἄλλοι) Hell. V 3, 5; καὶ μὲν δὴ καί, Cyrop. VIII 4, 8, neque minus καὶ δὴ καί, quod est in Cyrop. I 6, 21; IV 2, 1; Hell. pars III l. V 4, 4; VI 4, 13; καὶ μὲν δή, quod in Cyrop. I 6, 3; V 5, 44; VIII 4, 17 legitur. Saepius atque in omnibus fere libris praeter Cynegeticum et Hell. p. I leguntur μὲν γὰρ δή, καὶ γὰρ δή [— γέ], hic illic in dialogis atque libris historicis δή cum interrogativis coniunctum: τίς δή Oecon. I 18; VII 16. 17; IX 1; Memor. I 3, 10; IV 1, 20; Conviv. IV 27; Hell. III 3, 5; Anab. II 5, 22; VII 6, 20; Cyrop. I 3, 5. 8. 10; 6, 16; IV 3, 10; VI 3, 20; VII 1, 6; 2, 28); τί γὰρ δή [καὶ] Hell. V 2, 16; VII 5, 2); πῶς δή (Oecon. II 5; IX 2; XIII 4; Conv. V 5; Cyrop. I 3, 10; 6, 22; VIII 4, 8); ποῦ δή (Cyrop. III 1, 38); πότερος δή (Cyrop. II 2, 8).

Iis quoque, quae cum-τοί compositae sunt, particulis perraro Xenophon in Cynegetico et Hell. parte I utitur; μέντοι enim in utroque libro bis legitur, (de Ven. X 21; XII 14); Hell. II 1, 7; 3 2), καίτοι semel in illo (de Ven. XIII 7), τοίνυν in Cynegetico omnino non, in Hell. p. I semel (I 7, 33) legitur; desunt plane τοί et quae in ceteris quoque libris rara sunt οὔτοι (Symp. II 12; IV 53; Memor. I 4, 10; III 12, 5; Cyrop. II 3, 24; III 1, 32; VI 3, 20; VIII 3, 42; 7, 19; Anab. VII 6, 11) 1, ἐπείτοι (Conviv. III 4), ἤτοι (Memor. III 12, 2; IV 6, 13; Cyrop. IV 5, 22). Respice contra, quam frequens μέντοι in Hipparchico sit, qui multo brevior est, quam libellus de Venatione (quindecies enim illic in undeviginti paginis legitur), respice Hellenicorum partes secundam et tertiam, in quibus nulla fere pagina est, qua μέντοι non legatur, atque genus dicendi illorum librorum recedere a posterioribus concedes. Nam γέ quoque, quae particulae ex sermonis consuetudine in librorum genus dicendi translata esse videtur, perraro in libro de Venatione et Hellenicorum parte prima invenitur, frequens et sola et pronomini addita (ἔγωγε, ὑμεῖς γε, etc.) et cum altera particula coniuncta (γὲ μέντοι, γὲ μήν, γοῦν, raro γὲ δή) in omnibus ceteris libris invenitur; libellus vero

de Venatione cum raro particulam γέ exhibet (octies in undetriginta paginis), tum quater in exclamationibus (εὖ γε, εὖ γε VI 19, σαφῶς γε, καλῶς γε VI 17) ad canes incitandos aptis, quas Xenophon sibi commemorandas esse censuit.

Ex magno deinde numero eorum verborum, quae particula -πέρ aut alteri particulae aut pronomini addita fiunt, in libro de Venatione nulla leguntur, nisi ὅσπερ, καίπερ, ὥσπερ, et ea satis rara (ὅσπερ VIII 6; ὥσπερ X 18. 22; XII 8. 19; καίπερ X 20); in Hellenicorum parte prima praeterea ἧπερ (I 7, 13. 32), οἷόσπερ (I 4, 16 bis. II 2, 13), ὅσοσπερ (I 3, 9), εἴπερ (I 7, 6), sed neque ὅστισπερ (quod legitur Hell. V 3, 6; Oecon. I 3; Hiero. XI 14; Cyrop. II 2, 21; [Apolog. 16, 27), neque -πέρ cum coniunctione temporis vel loci compositum, qualia sunt:

ἐπείπερ: Hell. VII 1, 2; 3, 4; Anab. II 3, 10; 5, 38. 41; IV 1, 8; VII 4, 19; Cyrop. I 5, 11; III 3, 14; IV 2, 13; VI 1, 17; VII 2, 10; 5, 7; VIII 1, 5. 21; Memor. I 4, 19; Oecon. I 11; Hiero VII 4; VIII 1; Vect. II 1; Lac. resp. VIII 3; Hipp. VIII 4; R. equ. V 7; VII 11; XII 8;

ἐπειδήπερ: R. equ. VIII 1; (Resp. Ath. III 1);

ὅτεπερ: Hell. IV 5, 19; ὅτανπερ Cyrop. I 6, 10; VIII 5, 21; ἕωσπερ Hell. VI 5, 12; VII 2, 23; ἡνίκαπερ: Hell. V 4, 3; Cyrop. VIII 8, 9; ἔστεπερ Cyrop. VIII 8, 9; ἔστ' ἂν περ R. equ. XI 9; et

οὗπερ Hell. III 2, 28; V 4, 56; VII 1, 29; Anab. IV 8, 26; Cyrop. IV 5, 2; VII 3, 15;

ὅπουπερ Cyrop. IV 5, 2. 36. 48; R. equ. VII 19;

ἔνθαπερ: Hell. III 1, 28; 2, 12; 4, 3; IV 4, 8; V 4, 54; VII 1, 34; Anab. IV 8, 25; VI 4, 9; Mem. III 3, 6; Hiero II 5; V 7; R. equ. V 1;

ἔνθενπερ Hell. VI 5, 20; Cyrop. I 2, 2;

ὅθενπερ Hell. V 1, 4; Anab. II 1, 3; Oecom. VIII 10; Vect. I 1.

Posterioribus vero libris breves comparationes vel dicta velut ὥσπερ εἰκός, ὥσπερ εἰώθεσαν, ὥσπερ ἔμπροσθεν Xenophon inserere amat; itaque ὥσπερ iterum iterumque legitur in Convivio, in libris de Vectigalibus et de Re eque-

itri, nec non in Cyropaedia, aliquanto rarius in libris historiis; perraro autem utitur Xenophon particula καθάπερ, ιius haec fere sunt exempla: Hell. III 2, 9; 4, 21; IV 7, 2; 2, 7; 4, 54; Anab. V 4, 28; 6, 26; Conv. I 9; Memor. 2, 29; R. eq. IV 5. [Ages. I 29.]

Iam transeo ad particulam τέ, quae sola quidem raro, epius repetita (τέ-τέ), persaepe cum καί coniuncta in nnibus Xenophontis libris legitur. Quod propterea neLendum non esse videtur, quod Fuhrius optime demonstravit, raeter omnes oratores Plutarchum quoque ea adeo non sum esse, ut in multis illius scriptis τέ-καί omnino non egatur; quo argumento ad nonnullos de quibus ambigitur ibros illi aut vindicandos aut eripiendos et ille (Mus. Rhen. XXXV p. 565 sqq.) et Heinzius (Bursians Jahresberichte XIII p. 222) usi sunt. Quare aliorum saeculorum scriptores aliis particulis ad coniungendas propositiones usos esse particulis collectis fortasse demonstrari posset. In Xenophontis vero libris hic illic vel saepius, quam elegantem scriptorem decet, τέ-καί repetitur, imprimis in Memoabilium libri III capitibus 8 — 10 et IV 1 et 2 (26 — 28); 'erraro contra in Memorabilibus τέ-τέ invenitur, quod in Iellenicorum parte prima et in libro de Venatione, qui bri Memorabilibus tertia vel quarta parte minores sunt, on rarius est quam in illis. — Neque minus singularis ι Memorabilibus iis, quibus interrogationes rectae signiantur, particulis Xenophon usus est.[1]) Nam cum in nnibus Xenophontis scriptis, in quibus illae particulae liquanto saepius inveniuntur, (quae sunt praeter dialogos 'yropaedia et Anabasis) ἦ vel crebrius legatur quam ἆρα, er Memorabilia quinquies et tricies ἆρα, nunquam ἦ in nterrogatione recta invenitur.[2]) Contra in Cyropaedia semel t tricies ἦ, sexies decies ἆρα, in Oeconomico quindecies ἦ, iovies ἆρα, in Convivio sexies ἦ, quinquies ἆρα, in Anabasi uater ἦ, bis ἆρα invenitur.

---

1) Has particulas tabellis quidem inserendas non esse putavi, cum in commentationibus et libris historicis rarissimas esse appareret.

2) Mem. II 1, 15 ἦ legitur, sed in interrogatione disiunctiva.

Restat, ut de particula δέ pauca addamus, quam in omnibus Xenophontis libris persaepe legi nemo mirabitur; in nullo tamen tam frequens est quam in Cynegetico, in quo undetriginta paginis 535 δέ leguntur, ita ut viginti fere unaquaque pagina inveniantur, interdum vel plus triginta (cfr. c. II.). In reliquis enim commentationibus δέ decies vel tredecies, in dialogis octies vel novies per singulas paginas legitur. Hellenicorum vero prima pars medium locum inter librum de Venatione et cetera Xenophontis scripta tenere videtur, quippe in qua δέ rarius quidem quam in illo, saepius tamen quam in ceteris Xenophontis scriptis legatur.

§ II. De Cynegetici et Hellenicorum partis I necessitudine.

Iam quae ex particularum usu effici possint, videamus. Ac primum quidem eos, quos primae aetati Dittenbergerus attribuit, libros, Cynegeticum dico et Hellen. p. I, inter se summa similitudine ac familiaritate coniunctos ab aliorum Xenophontis scriptorum genere dicendi mirum quantum recedere apparet. Nam praeterquam quod particulam μήν in illis non legi Dittenbergerus recte monuit, — id quod cum antiquissimo Attico libro illis commune est — non modo γὲ δή, τοιγαροῦν, δ' οὖν, γε μέντοι, γὲ δή, δὲ δή, καὶ γὰρ δή, sed ne μὲν δή quidem in iis invenitur. Neque unquam in illis Xenophon sermonis vim addito πάνυ vel μάλα auxit, neque δή aut(?) particula usus demissiorem fecit, neque breves illae comparationes, quas posterioribus libris inserere amat, in Cynegetico et Hellenicorum prima parte frequentes sunt. Adde quod particulae [illegible] εἴπερ in Hellenicorum quidem prima parte semel singulae leguntur[1], sed in Cynegetico et eae desunt. Deinde μέντοι, δή, γέ, leguntur quidem in utroque libro, sed perrara sunt: itaque cum Hellenicorum primae partis tum Cynegetici potissimum genus dicendi minime variatum distinctumque esse iam intelligimus, cum Xenophon non nisi paucis et iis maxime

1) Praeter id quod legitur Hell. II 1, 2 omnes illae particulae [illegible] inveniuntur [illegible] V 7, 35; εἴπερ I 7, 31;

usitatis atque pervulgaribus particulis utatur, aliis plane neglectis. Quae non casui tribuenda esse, sed arti scriptoris nondum cultae atque expolitae facile mihi concessum iri spero. Neque quisquam utrumque librum a Xenophonte alienum esse facile sibi persuadebit; sed iuventuti scriptoris illa vitia danda esse videntur. Quare quin Dittenbergerus recte hos libros ante omnes reliquos a Xenophonte compositos esse censuerit, non dubito; neque minus Oeconomicum quidem illis posteriorem esse, sed ceteros Xenophontis libros aetate superare, ea quam Platonis dialogi praebent analogia probatum iudico. Sed num omnes, quos quartae aetati ille attribuit, libri post eos scripti sint, quos tertiae dedit, mihi maxime dubium est. Nam praeter libellum de Venatione omnes illas commentationes: Rempublicam Lacedaemoniorum, Hipparchicum, Rem equestrem, libellum de Vectigalibus, [Agesilaum], extrema aetate a Xenophonte compositas esse censuit, Cyropaediam vero tertiae aetati attribuit. Verumtamen cum in ultimo Cyropaediae capite particula μήν tam frequens sit, quam in nullo fere alio Xenophontis libro — undecies enim in quattuor fere paginis μήν legitur[1]) — per reliquam vero Cyropaediam satis raro inveniatur (quippe quae praeter ἦ μήν in ducentis et quinquaginta paginis quadragies legatur), hac ex re colligere posse mihi videor, particulae nostrae usum frequentissimum commentationibus modo posterioris scilicet aetatis proprium esse, sed a dialogis et a rerum gestarum enarratione magis alienum; nam illius capitis argumentum ac disputandi ratio cum commentationibus optime comparatur. Sed etiamsi epilogum a Xenophonte alienum esse concederem, tamen Dittenbergeri sententiae propterea assentiri non possem, quod, si omnes quartae aetatis libri post eos compositi essent, quos tertiae ille aetati dedit, Xenophontem quindecim illis vel viginti Scilluntii recessus annis omnia fere maiora scripta (Memorabilia, Anabasim, Cyropaediam, Hellen. p. II, Convivium, Oeconomicum) composuisse oporteret, quindecim fere iis annis, quos Corinthi degit, unam

1) γέ μήν VIII 8, 6. 9. 17. 20, ἀλλὰ μήν §§ 11, 12, 15, 17, καί μήν §§ 9, 16, 18.

Hellenicorum p. III et breves illas commentationes neque eas omnes. Nam Lacedaemoniorum Rempublicam, quam quartae aetati Dittenbergerus tribuit, ante pugnam Leuctricam scriptam esse inter omnes fere constare videtur; itaque cum brevi tempore post eam pugnam interiecto Scillunte Xenophon expelleretur, illic non modo omnes tertiae aetatis libros, sed etiam Lacedaemoniorum Rempublicam compositam esse oporteret; quod cum minime probabile videatur, ne particulae μήν nimiam hac in re auctoritatem tribuamus, cavendum est; ex aliarum enim particularum usu vix quidquam afferri posse existimo, quo illa sententia fulciatur. Quare eiusdem quidem generis scriptorum (velut librorum historicorum) ordinem ex particularum usu constitui posse non prorsus nego (cfr. § 16), sed omnes tertiae aetatis libros ante Rempublicam Lacedaemoniorum compositos esse persuadere mihi non possum.

§ 12. De Cynegetici tempore.

Nunc ad singulorum librorum aetatem circumscribendam aggressi primum de Cynegetico fusius aliquanto disputemus. In quo particulis Xenophontem ad sermonem variandum distinguendumque omnino fere non usum esse supra demonstravimus, atque hac de causa scriptorem arte rudem fuisse diximus. Sed alia quoque generis dicendi nondum culti expolitique indicia in illo libro exstant, quorum gravissimum enumerationes existimo, quas frequentissimas sciptor inseruit. Nam praeter Chironis discipulos capite primo enumeratos similia leguntur et VII 15, ubi nomina, quibus canes apte appellari putat, Xenophon attulit, et IV 1, ubi virtutes, quibus canem venaticum praeditum esse oporteat enumerantur, et c. V 30, ubi quibus de causis lepus animal velocissimum sit, disseritur; quibus addendae sunt, quae breviores enumerationes leguntur c. III 2; IV 3, 6; VI 5. Quae a scriptore eleganti maxime abhorrere apparet. Nam ut canum nomina ei condonemus, quae cum ad rem ei pertinere viderentur, vix alio modo inseri potuerunt, — quid, quaero, ad rem breviarium illud doctrinae mythologicae? Satis fuit, tres vel quattuor viros fortes, qui vena-

tione inclaruerunt, laudare; sed viginti unum noster enumerat, neque enumerasse satis habet, sed cum primum nomina modo attulerit, singulos deinde repetit, narrans, quantam sibi laudem pepererint. Neque genus dicendi quam non variatum sit, praetermittendum esse puto; duae enim formulae sunt, quibus in hoc capite iterum iterumque repetitis scriptor abutitur; dicit enim aut: *τοσοῦτος ἐγένετο, ὥστε* (§ 9); *τοσοῦτο ὑπερέοχε φιλοπονίᾳ, ὥστε* (§ 7. 12); *τοσαύτης ἔτυχεν εὐκλείας, ὥστε* (§ 14), quibus addenda sunt, quae similia leguntur §§ 15. 16, aut: *Μελέαγρος δὲ τὰς μὲν τιμὰς ἃς ἔλαβε φανεραί· πατρὸς δὲ . . ., Θησεὺς δὲ τοὺς μὲν ἐχθρούς . . ., τὴν δὲ πατρίδα . ., Ἱππόλυτος δὲ ὑπὸ μὲν τῆς Ἀρτέμιδος . . . . σωφροσύνης δὲ . . ., Παλαμήδης δὲ ἕως μὲν ἔζη . . . . ἀποθανὼν δὲ . . . .* (10 sqq.), *Αἰνείας δὲ σώσας μὲν . . . σώσας δὲ . . .* (15), quibus similia paragrapho tertia decima quoque leguntur. Adde quod illi *Κέφαλος μέν* (§ 6) viginti fere *δέ* respondeant, nonquam alia particula substituta. Itaque dicendi imperitum atque rudem fuisse eum, qui haec ita scripsit iam apparet.

At primum libelli de Venatione caput ab interpolatore additum esse plurimi viri docti censuerunt[1]). Qui quae argumenta praecipue ex heroum fabulis, quarum hoc loco mentio fit, duxerunt, optime refutavit Ruehlius Z. Ö. G. XXXI 411 sq., qui ea potissimum, quae de Aenea post Troiam deletam in Troade residente hic narrantur, vix posteriore tempore quam extremo quinto saeculo ita referri potuisse demonstravit. Qui quae doctissime disputavit, ea augere atque confirmare posse mihi videor; ac primum quidem argumentum quoddam ex silentio potest duci, cum nunquam primi capitis auctor aliqua particula utatur, quae ab usu libri abhorreat, alterum deinde ex ea re, quod huic capiti simillima est secunda tertii capitis paragraphus; ubi cum vitia Xenophon enumeret, quibus canis venatori inutilis reddatur, primum, ut in hoc capite Chironis discipuli, ita illic sedecim vitia afferuntur modo et enumerantur, tum

1) Valckenaer, ad Eurip. Hippolyt. 85, ann. p. 141. Schneider ad I 1. Dindorf ed. Oxon. Comm. p. VI. Sauppe ed. t. V 257; Lincke Hermes XVII 316 sq. Plures affert Sauppins l. l. p. 255.

singula pertractantur, rationibus cur tales canes ad venandum inutiles sint, breviter demonstratis. Itaque huius libelli genus dicendi diversum ab aliis Xenophontis scriptis optime illum interpolatorem perspectum habere oportuit, qui tam bene non ceteros Xenophontis libros, sed unum de Venatione libellum imitatus est[1]).

Similis vero enumeratio, inculti generis dicendi specimen, legitur c. IV p. 1, ubi de uno participio *ἔχουσαι* duodeviginti substantiva pendent, quibus singulis duo, tria, vel quattuor adiectiva addita sunt, ita ut decem et septem versus una contineantur sententiae periodo, nulla fere particula inserta. Nam ab ore ad caudam canis hoc loco describitur, qualis esse debeat: *Πρῶτον μὲν οὖν χρὴ εἶναι* (*τὰς κύνας*, — quod supplendum est ex III 11!) *μεγάλας, εἶτα ἐχούσας τὰς κεφαλὰς ἐλαφράς, σιμάς, ἀρθρώδεις, ἰνώδη τὰ κάτωθεν τῶν μετώπων, ὄμματα μετέωρα μέλανα, λαμπρά, μέτωπα μεγάλα καὶ πλατέα, τὰς διακρίσεις βαθείας, ὦτα μακρά, λεπτά, ψιλὰ ὄπισθεν, τραχήλους μακρούς, ὑγρούς, περιφερεῖς, στήθη πλατέα, μὴ ἄσαρκα, ἀπὸ τῶν ὤμων τὰς ὠμοπλάτας διεστώτας μικρόν, σκέλη τὰ πρόσθια μικρά, ὀρθά, στρογγύλα, στιφρά, τοὺς ἀγκῶνας*

---

1) Eodem vero argumento et extrema capita a Xenophonte scripta esse probari potest, quamquam Linckius haec non minus quam prooemium „a sciolo semidocto“ Xenophontis libro addita esse censuit. Qui quae de Ruehlii et Dittenbergeri sententia iudicaverit, legere iuvabit (Hermes XVII 321 seq.): Es war ein verfehlter Schluss, der Einfassung wegen, die Schülerarbeit ist, auch d. Jagdbuch selbst Jugendwerk zu nennen, ein nothwendig verfehlter Schluss auch deshalb, weil bei näherer Prüfung der Sprache jeder davon abstehen müsste (?) die Lobrede auf die Jagd in die Zeit der Jugend Xenophons zu rücken, also noch mitten in die 2. Hälfte des 5. Jahrhunderts (!!) und sie neben das älteste Denkmal rein attischer Prosa, das wir kennen, neben die Schrift vom Staate der Athener zu stellen. Mir scheint es nicht ganz vorsichtig, auf die Anfänge der Schriftprosa in Athen zurückzugehen, ohne sich einmal ernstlich die Frage gestellt zu haben, ob es nicht vielleicht doch die beginnende Verderbniss ist, von welcher diese Sprache Zeugniss giebt.“ Quod quomodo is sibi persuadere potuerit, qui illa capita iuveni tribuenda censuit, qui ipsius Xenophontis consuetudine ac familiaritate usus itaque circa a. 374 natus Demosthenis fere aequalis esset, equidem non intellego neque unquam intellecturus sum.

ὀρθούς, πλευρὰς μὴ ἐπίπαν βαθείας, ἀλλ' εἰς τὸ πλάγιον παρηκούσας, ὀσφῦς σαρκώδεις, τὰ μεγέθη μεταξὺ μακρῶν καὶ βραχέων, μήτε ὑγρὰς λίαν, μήτε σκληράς etc. etc. En scriptorem elegantem! Nam dimidiam modo partem huius monstri legisti, cum totius describendi me taederet. Adde c. 5 sectionem 30, qua sedecim substantiva, quibus plurima adiectiva addita sunt, de uno verbo ἔχει γὰρ ... pendent, quibus similia leguntur IV 3. 6; VI 6. Talia vero quod in nullo alio Xenophontis libro inveniuntur, non ea potest causa haberi, quod in nullo alio occasio tales enumerationes inserendi oblata est; optime enim libellus de re equestri cum nostro comparatur; sed sapienter in equo describendo eas enumerationes evitavit (c. I. II). Atque in Cynegetico talia eo magis moleste feruntur, quod per totum librum brevissimis sententiis Xenophon utitur, coniunctis inter se particulis aut δέ aut γάρ aut οὖν. Lege exempli gratia VIII 1: Ἰχνεύεσθαι δὲ τοὺς λαγώς, ὅταν νίφῃ ὁ θεός, ὥστε ἠφανίσθαι τὴν γῆν· εἰ δὲ ἐνέσται μελάγχιμα, δυσζήτητος ἔσται. ἔστι δέ, ὅταν μὲν ἐπινίφῃ καὶ ᾖ βόρειον, τὰ ἴχνη ἔξω πολὺν χρόνον δῆλα· οὐ γὰρ ταχὺ συντήκεται. ἐὰν δὲ νότιόν τε ᾖ καὶ ἥλιος ἐπιλάμπῃ, ὀλίγον χρόνον· ταχὺ γὰρ διαχεῖται. ὅταν δὲ ἐπινίφῃ συνεχῶς, οὐδὲν δεῖ· ἐπικαλύπτει γάρ· οὐδ' ἐὰν πνεῦμα ᾖ μέγα· συμφοροῦν γὰρ τὴν χιόνα ἀφανίζει. κύνας μὲν οὖν etc. — Itaque quae Linckius disputavit (Herm. XVII 320 sq.), qui primum et ultima duo capita tironis opus a sciolo semidocto Xenophontis libro additum esse dicit, probare non possum, sed ab ipso Xenophonte tirone admodum totum libellum de venatione compositum esse, etiam si omnia alia indicia deessent, solo dicendi genere commotus affirmarem. At certe insunt in libro, quibus haec sententia comprobetur. Et quae Cobetus quidem disputavit (Nov. Lect. p. 774 seqq.) qui totum librum fervorem quendam iuvenilis animi θυμοειδοῦς τε καὶ ἐρωτικοῦ spirare dicit et in iis quae amet et admiretur, modum nullum servantis, ea quamquam vera esse existimo, tamen his argumentis nemo, qui aliter sentiat, refutatum se esse confitebitur, itaque graviora afferenda sunt. Apparet enim Xenophontem cum libellum componeret, Atticam solam coguitam habuisse neque alia animalia

venatum esse quam quae Attica terra aleret; nam cum de his fusius atque accuratius egisset, et ita, ut nemo scriptorem ipsum magno cum studio venationi incubuisse intellegere non posset, de feris bestiis omnibus uno capite et eo brevissimo, addito velut appendice, disputat, et ita, ut scriptorem cognitionem rei non habuisse facile appareat. Cuius capitis initium modo afferam: *Λέοντες δέ, παρδάλεις, λύγκες, πάνθηρες, ἄρκτοι καὶ τἆλλα ὅσα ἐστὶ τοιαῦτα θηρία ἁλίσκεται ἐν ξέναις χώραις*... Quae qui legerit atque quae paucissima de ratione bestias illas venandi hic affert Xenophon, ea comparaverit cum Cyropaed. I 4, quo capite Cyrum in illas bestias venantem facit, — comparaverit quoque cum iis, quae prioribus capitibus de leporibus cervis, apris venandis uberrime ille exposuit, is persuadere sibi non poterit, haec scripta esse postquam ille ex Asia cum Agesilao reversus Scillunte consedit, praesertim cum meminerit, caprearum, struthocamelorum, asinorum ferorum ne mentionem quidem fieri; in quos si Xenophon non ipse venatus est, at alios vidit venantes (Anab. I 5, 2).

Itaque pugnis unguibus calcibus defendo Schneiderum, Nitschium, Linckium [1]) qui libellum de venatione Scillunte post a. 387 compositum esse sibi persuaserunt, nulla fere alia causa commoti, quam quod Scillunte Xenophontem venatum esse Diogenes dicit (II 52); nam quod Nitschius attulit, qui hunc librum in Attica scriptum esse propterea negat, quod verbis quibusdam Xenophon in eo utatur, quae ab Atticorum consuetudine recedant, id optime refutatum est a Ruehlio laudata Athen. reip. II par. 8, quae est: *Καὶ οἱ μὲν ἰδίᾳ μᾶλλον καὶ φωνῇ καὶ διαίτῃ καὶ σχήματι χρῶνται, Ἀθηναῖοι δὲ κεκραμένῃ ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων.* Omninc vero multa vocabula a nostrae aetatis hominibus doctis a sermone Attico abhorrentia haberi puto, quae minime abhorrent. Certe fieri non potest, ut quae praeter Xenophontem nisi apud poetas velut Aeschylum, Sophoclem, Euripi-

---

1) Schneider, adn. ad XIII 1. Nitsche, Abf. d. Hell. p. 53 Lincke, Hermes XVII 320; Brennecke, De authentia et integr. Cyneget p. 40.

dem non legantur, ea omnia a consuetudine Atheniensium aliena esse existimemus, cum tam pauci prioris aetatis scriptores Attici temporum iniquitate ad nos pervenerint. Talia vero omnia fere sunt, quae in Cynegetico ab usu sermonis Atticorum recedere putat Rutherfordius (The new Phrynichus p. 165 sqq.), qui haec fere vocabula, quae in Cynegetico leguntur, ab Atticis aliena esse dicit: *ἀγρεύω, ἀμαυρῶ, εὐνάζω, λέχριος, νεογνός, ῥεῖθρον*. Sauppius vero vel viginti duo vocabula in Cynegetico poetica esse putat, undetriginta a consuetudine optimorum scriptorum recedere, duo esse Ionica (*αὔξιμος* Ven. 7, 3; *ὁμόχροια* 5, 18), qua de re conferas eius editionis t. V p. 298 cum lexilogo Xenophonteo. At *ἀγρεύω, ἀμαυρῶ, εὐνάζω, ῥεῖθρον* ne commemoravit quidem, quare eum de his cum Rutherfordio consentire non puto; et cum inter ea, quae ipse attulit, sint, quae apud Platonem quoque leguntur (*εὕδω* Ven. 5, 11; Plato Conv. 203 b. Phaedr. 267 a; *τρέμω* Ven. 3, 6; Plato, Rep. VIII 554 d. Parmen. 137 a; neque minus *ἵζω, κλέος*) non dubito, quin illius aetatis Athenienses iis vocabulis usi sint. Multa vero vocabula in libro de venatione legi, quae apud neminem alium inveniantur[1]), nemo mirabitur, cum nullus de venatione libellus quinque illis vel sex saeculis a Xenophonte usque ad Arrianum Oppianumque compositus nobis servatus sit. Poeticis autem verbis et in omnibus libris Xenophon usus est, et iuvenis etiam magis uti potuit; restant igitur duo illa Ionica vocabula, quae quamquam omnino raro, tamen in aliis quoque atque Ionicis scriptoribus leguntur (*αὔξιμος* Empedocl. ap. Aristot. de respir. VII; Aeschyl. ap. Photium s. v. *ἑψιοῦσα; ὁμόχροια* Ps.-Plato, Axiochus 396 d et Lucian. imag. 9); quare ex iis vix argumentum duci potest, quo Athenis nostrum librum compositum non esse demonstretur.

Cum igitur libellus de venatione usu particularum ab omnibus aliis Xenophontis scriptis praeter Hellenicorum partem primam diversissimus, arte nondum culta atque

1) Quadraginta duo *ἅπαξ εἰρημένα* exhibet Sauppius (ed. t. V p. 298.

expolita a scriptore, qui Atticam solam cognitam habet, compositus sit, neque ulla res nostrae sententiae repugnet, eum antequam Xenophon a. 401 ad Cyrum proficisceretur Athenis scriptum esse statuimus. Atque cum per bell Peloponnesiaci extremos annos Decelea a Lacedaemonii occupata Athenienses venari non possent, libellum a. 40 compositum esse contendo.

§ 13. De Historiae Graecae parte prima.

Transeo ad Hellenica et primum quibus de causi non unum opus continuo scriptum habenda sint, paucis verbi exponam. Atque Dionysius Hal. (Ep. ad Pomp. IV p. 777 haec tradit: *Ξενοφῶν τὰς ὑποθέσεις τῶν ἱστοριῶν ἐξελέξατ καλὰς καὶ μεγαλοπρεπεῖς καὶ ἀνδρὶ φιλοσόφῳ προσηκούσας, τήν τε Κύρου παιδείαν .... καὶ τὴν ἀνάβασιν τοῦ νεωτέρου Κύρου .... καὶ τρίτην ἔτι τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν καὶ ἣν κατέλιπεν ἀτελῆ Θουκυδίδης, ἐν ῇ καταλύονταί τε οἱ τριάκοντα καὶ τὰ τείχη τῶν Ἀθηναίων, ἃ Λακεδαιμόνιοι καθεῖλον, αὖθις ἀνίσταται* — quibuscum optime comparantur, quae exhibet Marcellinus Vit. Thucyd. II 45: *ἀπέθανε Θουκυδίδης .... συγγράφων τὰ πράγματα τοῦ εἰκοστοῦ καὶ πρώτου ἐνιαυτοῦ εἴκοσι δὲ καὶ ἑπτὰ κατέσχεν ὁ πόλεμος. Τά δὲ τῶν ἄλλων ἓξ ἐτῶν ἀναπληροῖ ὅ τε Θεόπομπος καὶ ὁ Ξενοφῶν, οἷς συνάπτε τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν.* Duo igitur Xenophontis script distinxisse videntur Dionysius et Marcellinus, Paralipomena ut ita dicam, ad Thucydidem et Historiam Graecam. Adde quod Diogenes Laert. Xenophontem Thucydidis historiam edidisse dicit (II 57): *λέγεται δ' ὅτι καὶ τὰ Θουκυδίδου βιβλί ὑφελέσθαι δυνάμενος λανθάνοντα, αὐτὸς εἰς δόξαν ἤγαγεν* — quamquam huius testimonio non multum auctoritatis tribu Nostra vero aetate primus Niebuhrius duobus potissimu argumentis usus (Kl. histor. Schrift. I 464) Historiam Graecam unum opus continuo compositum esse negavi Nam in prioribus Hellenicorum libris Xenophontem d Atheniensium re publica sine ira et studio iudicare appare in posterioribus Spartam Agesilaumque veneratione cultuqu persecutus patriam si non odisse at non amare videtu Neque quae extremo altero libro leguntur: *Ἀθηναῖοι ὁμ*

σαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος — post quinquaginta fere annos, cum rei publicae status mutatus.esset, affirmari potuerunt. Tot enim annis interiectis ea, quae Hell. VI 4, 37 leguntur, scripta esse oportet, ubi Xenophon Tisiphonum, qui Alexandro 358/57 interfecto Pherarum regnum suscepit, regnasse dicit ἄχρι οὗ ὅδε ὁ λόγος ἐγράφετο. Itaque Niebuhrius primus priores duos libros a Xenophonte circiter a. 398 Athenis compositos, deinde longo temporis spatio interiecto posteriores quinque additos esse censuit. Quem secuti sunt C. Peterus (Comm. de Xen.' Hellen. 1837) et H. Weilius (Zeitschr. f. Alterthumsw. 1842 p. 143 seqq.) nec non Letronnius (Biogr. univ. t. 51 p. 388); Aem. Muellerus autem Niebuhrii sententiam novis argumentis allatis et confirmavit et correxit (De Xenophontis historiae parte priore. Lips. 1856). Nam partem priorem annalium in modum compositam esse demonstravit, fine uniuscuiusque anni notato his fere formulis: καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν, ἐν ᾧ (cf. I 1, 37; 2, 19; 5, 21; II 2, 24) aut: τῷ δ' ἄλλῳ ἔτει, τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους (cfr. I 2, 1; 3, 1; 6, 1; II 1, 10; 3, 1), cum in ceteris libris scriptor annorum seriem non servet, sed res compluribus annis eadem regione gestas eodem tenore persequatur. Atque in parte priore proelia breviter quidem referuntur, sed enarrantur omnia, etiamsi non tanti sint momenti; in posteriore complura scriptor praetermisit, quae commemoravit, de iis fusius disputavit. Adde, quod in priore parte diligenter atque accurate dixit, quot milites, quot naves in utroque exercitu fuissent, quot homines aut caesi essent aut capti, cum in posteriore saepius utatur praepositionibus ὡς aut εἰς, vel verbis οὐκ ἐλάσσους ἤ, πλείους ἤ, πολλοί, ὀλίγοι. Neque silentio praetereundum est, quod in illis libris nunquam sacrificia ab imperatoribus instituta antequam proelium committerent aut domo proficiscerentur refert, quod tam laudando quam vituperando abstinuit, quod nusquam posterioribus libris orationes obliquas inseruit, quales leguntur I 2, 27; I 4, 13; quod priore parte rerum Syracusanarum rationem habet, posteriore non habet. Quibus de rebus Muellerum laudasse satis habeo. Illam vero priorem Historiae

Graecae partem non totum alterum librum complecti, sed no ultra decimam tertii capitis paragraphum pertinere Muellen optime demonstravit. Hic enim, ubi scriptor eo perveni quo Thucydides opus perducere sibi proposuerat, subsisti repetit, quoto anno a pace triginta annorum et quo ephoı bellum incohatum sit, quamdiu duraverit commerorat, add duodetriginta nomina ephororum. Sequentis deínde anı initium iam non notatum est, atque II 3, 56 primum ipsiı persona disputat Xenophon Critiaeque laudem inserit. Qua Muelleri sententiam omnes fere nostrae aetatis homines doc probaverunt praeter Breitenbachium, qui Niebuhrium secut priores duos libros velut primam Hellenicorum partem edid et Nitschium, qui quattuor priores libros quintique primu caput continuo compositos esse censuit (Abfass. d. Helle 1871 p. 28 sq.). Qui quamquam iis, quae Muellerus disseru satis refutati esse videntur, tamen nova quaedam argumen ex usu particularum hausta afferam. Atque in prima qı dem parte Xenophontem nunquam particula μήν usum es sed inde ab undecima paragrapho usque ad finem libri l γὲ μήν, semel ἀλλὰ μήν legi (II 3, 33. 42; II 3, 40; ἦ μήν II 4, 4 Dittenbergerus iam animadvertit (l. l. p. 330); sed ali quoque particulae, quae in prima parte desunt, inde II 3, 11 usque ad finem libri saepius leguntur; qua in neglegendum non est, partem priorem triginta quinq paginas complecti, cum reliqua secundi libri pars non pl quam decem et septem paginas complectatur. Et legunt quidem μὲν δή II 4, 1; τοί II 3, 22; 4, 13; δήπου II 3, ξ 32. 34. 35. 45; ἄρα II 3, 56; 4, 40; quibus addo, qu πάνυ est in II 4, 23; μάλα II 3, 56; 4, 2. 3. 20. 24. (cf. p. 44), quamquam adverbia potius, quam particulae suı Addendae sunt particulae, quae perraro usque ad II 3, 1 multo saepius in reliqua secundi libri parte leguntur, qu sunt: 1) δή, quod sexies in parte priore (I 2, 15; 5, 2. 13; II 20. 27. 31), decies in posteriore (II 3, 13. 15. 18. 47; 4, 1 23. 27. 40. 41; μὲν δή II 4, 1) legitur; 2) γέ: quater il (I 6, 7. 14; 7, 6 bis), ter decies hic: II 3, 19 (bis). 38. 4 42 (bis). 46. 48. 56; 4, 16 (bis). 18. 41); 3) μέντοι (bis ill decies quater hic: II 1, 7. 32; — II 3, 18. 37. 48. 53; 4,

(bis). 18 (bis). 37); 4) οὖν, quod quindecies illic, quater decies usque ad finem libri legitur: I 1, 27. 34; 3, 19; 4, 4. 7. 8; μὲν οὖν: I 1, 14. 26; 3, 6. 13; 5, 17; 6, 14. 20; 7, 17; II 1, 19; — II 3, 15. 27. 33. 34. 37. 43. 57 (bis); 4, 9 (bis). 17. 19. 36. οὐκοῦν II 3, 38; quibus addo οὐ μέντοι — γέ: II 3, 27. 36; 4, 42; et γὲ μέντοι: II 3, 37; 4, 22, quae omnino non leguntur in parte priore; αὖ, quod semel in parte priore (II 1, 2), septies hic (II 3, 19. 28. 30. 42. 45. 48; πάλιν αὖ II 4, 29); ὥσπερ, quod ter illic (I 1, 27; 6. 5; 7, 26), octies hic (II 3, (16?) 19. 31. 55; 4, 9. 16 (bis). 36. 41) legitur. Itaque Muellero assentiri non dubito affirmanti, inde ab undecima tertii capitis paragrapho „ipsum genus dicendi fieri expeditius atque alacrius, cum incalescat scriptor", et finem primae Hellenicorum partis non esse extremo libro secundo, sed post decimam tertii capitis paragraphum. — Quo vero tempore priores duo libri compositi sint, non satis constat. Quamquam enim Xenophontem antequam Thucydides praematura morte absumptus esset, consilium, ut opus ab illo incohatum persequeretur, capere non potuisse apparet, tamen hac ex re non multum proficimus. Thucydides enim quo anno mortuus sit, adeo non constat, ut Letronnius (l. l. p. 388) et Breitenbachius (ed. Hellen. t. I app. p. 155) persuadere sibi potuerint, eum duobus fere annis post bellum Peloponnesiacum confectum ex vita discessisse Xenophontemque iam antequam ad Cyrum proficisceretur, primam Hellenicorum partem composuisse. Quae probabilia esse non existimo; neque enim, si Thucydides libros suos per belli tempus adeo iam elaborasset, ut pace inita extremus modo operis perpoliendi labor adhibendus esset, quibus de causis historia non ultra res a. 411 gestas perducta sit intellegitur, neque Xenophontem iuvenem nondum triginta annos natum Thucydidis opus perficiendum sibi sumpsisse verisimile est. Adde, quod genus dicendi quamvis ab Anabaseos Cyropaediaeque elegantia nimium quantum recedat, atque praecipue particulis omnibus fere careat, multo tamen expeditius faciliusque est quam Cynegetici, quem illo tempore scriptum esse supra demonstravimus. Atque probabile quoque est, Thucydidem ultra annum 399, quo Archelaus Macedoniae

rex ex vita decessit, vitam produxisse, cum non vivum sed mortuum praedicare videatur II 100 (cfr. Ullrich, Beitr. z. Erklär. d. Thuk. p. 145);[1]) sed ne id quidem constat, quod vulgo pro certo habetur, cum eum ante a. 396 mortuum esse affirment (cfr. Classen ed. t. I p. XXIX), quod quartam Aetnae eruptionem non cognovisset (Thuc. III 116 cfr. Diodor. XIV 59). Cum enim operi extremam manum adhibitam non esse constet, hac re nihil aliud probatur, quam tertium librum ante a. 396 compositam esse. — Fac vero Thucydidem inter a. 399 et 396 ex vita discessisse, tamen Xenophontem eo tempore Historiam Graecam scribere coepisse non probabile est, cum in Asia apud Dercyllidam Agesilaumque versaretur[2]). Itaque primam Hellenicorum partem compositam existimo, postquam ille a. 394 cum Agesilao in Europam rediisset; atque cum post pugnam Coronensem cum rege saucio Spartam profectus ibique per aliquot tempus commoratus esse videatur, cum vel filios eo arcesseret (cfr. p. 21. 26), hunc librum in ipsa Sparta scriptum esse conici potest, quamquam certi aliquid nemo de hac re affirmare posse sibi videbitur.

§ 14. De altera Hellenicorum parte.

At Muellerus si verum vidit et prima Hellenicorum pars secundum librum non totum complectitur, sed post decimam tertii capitis sectionem exit, Niebuhrii nonne sententia refutata atque illa verba: ὅρκοις ἔτι καὶ νῦν ἐμμένει ὁ δῆμος, quae II 4, 43 leguntur, post a. 357 scripta esse oportet? Non oportet. Nam ne posteriores quidem quinque libros continuo compositos esse et Grosserus et Nitschius demonstraverunt. Quorum ille quidem eo potissimum argu-

1) Thucydidem apud Archelaum commoratum esse Wilamowitzius (Hermes XII p. 326—367) mihi non perruasit (cfr. Gilbert, Philol. 38, 243); certe Pellae eum mortuum esse non constat (cfr. Gilbert l. l. Schoell. Herm. XIII p. 450).

2) Grotii sententia, qui Xenophontem a. 399 Athenas rediisse ibique per aliquot menses moratum esse dicit (H. of Gr. IX 240), neque iis quae Anab. VII 7, 57. 8, 2. leguntur, satis probatur, neque ut verum homo doctissimus iudicasset, Xenophontem brevi illo tempore Historiam scribendam aggressum esse existimo.

mento usus, quod post pugnam Mantinensem vel ne post Leuctricam quidem Xenophon pugnam Coronensem: γενέσθαι οἵαν οὐκ ἄλλην τῶν γ' ἐφ' ἡμῶν dicere non potuerit, eum tertio quinti libri capite composito, in iis, quae a. 379 acciderunt enarrandis substitisse putavit antequam Thebas a Lacedaemoniorum imperio liberatas referret (Jahrbb. 95 p. 743); Nitschius vero (Abfassung d. Hell. Berl. 1871 p. 1 sqq.) non post tertium, sed extremo primo capite quinti libri alterius Hellenicorum partis finem esse optime demonstravit. Primum enim pacem Antalcideam, quae Graeciae perturbationibus finem facere videbatur, meliorem operis terminum esse apparet, quam annum 379, deinde hoc loco vere subsistit scriptor, iis, quae usque eo narravit, breviter repetitis (Hell. V 1, 35—37), tum ex iis quae III 5, 25 leguntur, Xenophontem, cum haec scriberet, ut historiam ultra a. 387 perduceret, nondum sibi proposuisse perspicuum est. Pausaniam enim regem, qui cum serius quam cum Lysandro constituerat venisset, proelii Haliartici amissi auctor fuit, a Lacedaemoniis exilio multatum a. 395 Tegeam confugisse, ibique morbo confectum diem supremum obiisse refert III 5, 25 (καὶ ἔφυγεν εἰς Τεγέαν καὶ ἐτελεύτησεν ἐκεῖ νόσῳ). Sed decem fere annis post eundem Pausaniam pro Mantinensibus, πρὸς οὓς μάλα φιλικῶς εἶχεν, filium Agesipolim deprecatum esse narrat Hell. V 2, 3. Itaque cum exilium regis referret, eius in rebus gestis enarrandis iam non mentionem faciendam fore et mortem illic optime inseri existimavit, et de historia ultra a. 387 perducenda nondum cogitavit. — Adde, quod idem magistratus usque ad V 2, 1 ἐπιστολεύς vocatur (I 1, 15; II 1, 5; IV 8, 11; V 1, 5. 6), extrema vero Hellenicorum parte ἐπιστολιαφόρος VI 2, 15. — Quibus de causis Nitschius Xenophontem primo capite quinti libri composito substitisse recte iudicavit.

Sed certiora etiam efficere voluit, cum hanc partem Hellenicorum inter a 384 et autummum a. 383 scriptam esse contenderet (l. l. 4 seqq). Quod ut probaret, eo Hellenicorum loco usus est, quo Xenophon a Phliuntiis Iphicratem metuentibus Lacedaemonios a. 393 in urbem receptos esse, eosque quamvis exulibus faverent, tamen urbem qualem

rex ex vita decessit, vitam produxisse, cum non vivum sed mortuum praedicare videatur II 100 (cfr. Ullrich, Beitr. z. Erklär. d. Thuk. p. 145);[1]) sed ne id quidem constat, quod vulgo pro certo habetur, cum eum ante a. 396 mortuum esse affirment (cfr. Classen ed. t. I p. XXIX), quod quartam Aetnae eruptionem non cognovisset (Thuc. III 116 cfr. Diodor. XIV 59). Cum enim operi extremam manum adhibitam non esse constet, hac re nihil aliud probatur, quam tertium librum ante a. 396 compositam esse. — Fac vero Thucydidem inter a. 399 et 396 ex vita discessisse, tamen Xenophontem eo tempore Historiam Graecam scribere coepisse non probabile est, cum in Asia apud Dercyllidam Agesilaumque versaretur[2]). Itaque primam Hellenicorum partem compositam existimo, postquam ille a. 394 cum Agesilao in Europam rediisset; atque cum post pugnam Coronensem cum rege saucio Spartam profectus ibique per aliquot tempus commoratus esse videatur, cum vel filios eo arcesseret (cfr. p. 21. 26), hunc librum in ipsa Sparta scriptum esse conici potest, quamquam certi aliquid nemo de hac re affirmare posse sibi videbitur.

§ 14. De altera Hellenicorum parte.

At Muellerus si verum vidit et prima Hellenicorum pars secundum librum non totum complectitur, sed post decimam tertii capitis sectionem exit, Niebuhrii nonne sententia refutata atque illa verba: *ὅρκοις ἔτι καὶ νῦν ἐμμένει ὁ δῆμος*, quae II 4, 43 leguntur, post a. 357 scripta esse oportet? Non oportet. Nam ne posteriores quidem quinque libros continuo compositos esse et Grosserus et Nitschius demonstraverunt. Quorum ille quidem eo potissimum argu-

1) Thucydidem apud Archelaum commoratum esse Wilamowitzius (Hermes XII p. 326—367) mihi non perruasit (cfr. Gilbert, Philol. 38, 243); certe Pellae eum mortuum esse non constat (cfr. Gilbert l. l. Schoell. Herm. XIII p. 450).

2) Grotii sententia, qui Xenophontem a. 399 Athenas rediisse ibique per aliquot menses moratum esse dicit (H. of Gr. IX 240), neque iis quae Anab. VII 7, 57. 8, 2. leguntur, satis probatur, neque ut verum homo doctissimus iudicasset, Xenophontem brevi illo tempore Historiam scribendam aggressum esse existimo.

p. 718). Ex ipso igitur libro id unum erui posse videtur, ut eum post a. 385 scriptum esse iudicemus. Nam ne id quidem Nitschio concedendum esse existimo, quod post a. 371 pugnam Coronensem *γενέσθαι οἵαν οὐκ ἄλλην τῶν γ' ἐφ' ἡμῶν* dici potuisse negat, cum Leuctris inter solos Thebanos et Lacedaemoniorum quattuor *μόρας* pagnaretur, Coroneam ex tota fere Graecia exercitus convenissent. Certiora vero ex ea re, quod hic liber post Anabasim compositus esse videtur, infra (p. 65 sq.) efficere conabimur; hic addendum est, quod Leutschius (Philol. XXXIII p. 97, 127) Jungmannusque (Philol. Anzeig. V 139) sibi persuaserunt, qui Hellenicorum priores libros a Xenophonte Cratippi nomine editos esse censuerunt, cum Cratippum Thucydidis opus complevisse Dionysius Hal. (de Thucyd. XVI) dicat. Atque Leutschius quidem eam, quam Muellerus dixit, primam Hellenicorum partem (I 1—II 3,10) Cratippo datam existimat, Jungmannus Nitschium secutus eam, quae quattuor priores libros ac quinti libri primum caput complectitur (cfr. p. 54). Quorum sententia iis, quae de Cratippo Dionysius refert, refutatur, qui eum orationes a Thucydide insertas vituperasse dicit, cum *οὐ μόνον ταῖς πράξεσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀκούουσιν ὀχληραί* essent (Dionys. l. l. c. 16 p. 847). Ipsum igitur suis libris orationes non inseruisse apparet; in Hellenicorum vero prima parte orationes leguntur (Hell. I 6, 8; 7, 16; II 3, 24. 35. 51; 4, 13. 20 etc.), itaque Dionysium aliud Cratippi opus intellexisse oportet (cfr. Ruehl, Jahrb. f. Philol. t. 127 (1883) p. 738).

§ 15. De Hellenicorum parte extrema.

Extremos denique Hellenicorum libros multo post a. 360 confectos et hac de causa Stesiclidem, qui Xenophontem a. 360/59 ex vita decessisse dicit, improbandum esse primus Wesselingius vidit (adn. ad Diodor. XV 76). Nam Hell. VI 4, 36 Xenophon Alexandri Pherarum tyranni ab uxoris fratribus occisi mentionem facit et illorum maximum natu regnum obtinuisse dicit ,*ἄχρι οὗ ὅδε ὁ λόγος ἐγράφετο*'. Jasonem vero Pherarum tyrannum mortuum esse antequam Pythia a. 370 agerentur Xenophon tradit Hell. VI 4, 27; quae

mense Delphico Bucatione cum Attico Metageitnione fere aequali celebrata esse constat atque septimo huius mensis die agi coepisse verisimile est (cfr. Kirchhoff, Ber. d. Berl. Acad. 1864 p. 129). Itaque Iason secundum nostram temporum rationem antequam mensis Augustus exiret interfectus esse videtur (cfr. Ideler, Chronolog. I 385). Secutus est fratre Polydoro sublato Polyphron, qui per unum modo annum regnum obtinuit, cum ab Alexandro mortem patris Polydori ulturo a. 369 interficeretur (Hell. VI 4, 34; Plut. Pelop. 29). Alexandrum autem Diodorus XV 61 per undecim annos regnasse dicit, itaque a. 358 occisus est[1]), non a. 357, quo Diodorus alio loco (XVI 14) eum periisse tradit, ubi quae compluribus annis acciderunt, ea uno tenore narrasse videtur. Si vero a. 358 Alexander interiit, quique ei successit Tisiphonus aliquamdiu iam regnum obtinuit, cum Xenophon Hellenicorum librum VI componeret, ille vix ante a. 357 Hellenica ad finem perducere potuit. Certe cum a. 354 Xenophontem defunctum esse supra demonstratum sit (p. 31 sq.), inter a. 358 et 354 extrema Historiae Graecae pars composita est[2]).

---

1) Quamquam quo anno Alexander interfectus sit, non satis constat, tamen eum iam a. 359, quo eum mortuum esse dicunt Clintonius (F. H. app. 15; epit. p. 23.), Grotius (XI 288 n. 2.), Curtius (Gr. Gesch. III^5 431) interiisse persuadere mihi non possum. Neque enim est, cur Alexandrum undecim imperii annos confecisse negemus, neque ex Plutarcho, qui eum ex vita decessisse dicit ὀλίγῳ ὕστεροι quam Thebani Pelopidae mortem ulti essent a. 363 (Pelop. c. 35), argumentum ducendum esse existimo, cum hoc indiligentius dictum sit etiamsi Alexandrum a. 359 periisse facimus. Stesiclidem vero cum nostra sententia non pugnare p. 31 sq. demonstratum est. Si Alexander undecim imperii annos complevit a. 358, vel si Polyphron aliquamdiu una cum Polydoro regnavit, a. 357 mortuus est.

2) H. Sauppius nuper alterum libri septimi caput, quo Phliasiorum res a. 369—367 gestas Xenophon narrat, digressionem esse priore tempore compositam et libro confecto insertam contendit (Goettinger Nachr. 1882 p. 297 sqq.). Quod ut probaret, eam unam rationem attulit, quod particula μέντοι, quam in prioribus Historiae Graecae libris perraro, posterioribus multo crebrius legi recte animadvertit, hoc capite semel modo legitur (VII 2, 4.). Sed fieri non potest, ut una particula ad singulorum capitum aetatem constituendam utamur, cam saepe in

Sed antequam Hellenica missa facere possumus, pauca de eorum sententia addenda sunt, qui non ipsius Xenophontis opus, sed epitomen modo ex eo factam nobis servatam esse putant. Quae primus Campius, Hellenicorum interpretator Germanicus, sibi persuasit (a. 1856 praef. p. VIII), deinde Graecus doctus *Κυπριανός* (*περὶ τῶν Ἑλληνικῶν τοῦ Ξενοφῶντος*. 1859. Athen.) nec non vv. dd. Jungclaussen (progr. Meldorf 1862), D. Fabricius (Jahrb. f. Philol. t. 93,455), Grosser (ibid. p. 721; t. 95 p. 737; t. 105, p. 723). Qui ad sententiam suam confirmandam duobus potissimum argumentis usi sunt. Primum enim librum tot vitiis corruptum et in quo tot res praetermissae sunt, quae commemorandae fuerunt, a Xenophonte scribi potuisse negant, deinde Plutarchum alia et ea ampliora Xenophontis Hellenica legisse contendunt. Quorum primum argumentum apud neminem valebit, qui de indole atque ingenio Xenophontis aliter iudicat, et eum non nescio quem praeclarum ac singularem historicum fuisse, sed rebus militaribus et equestribus magis eminuisse quam litteris, praecipueque Hellenicis non rerum gestarum scriptoris officiis functum esse, sed Agesilaum et Lacedaemonios praedicandi occasiones quaesivisse, vituperandi evitasse, et quae adversaria illis acciderunt, silentio praeteriisse existimat. Alterum nemo iam sibi persuadebit, cum Plutarchum non Xenophontis Hellenicis, sed Ephoro, qui Xenophontem legit, usum esse constet[1]). Quare quae plura Plutarchus exhibet quam Xenophon, ea non Hellenica ab eo ampliora quam nos habemus lecta esse probant, sed Ephoro tribuenda sunt. Neque minus Diodorus

---

eodem libro per multas paginas aliqua particula non legatur, deinde crebro in eadem pagina cfr. *δήπου*, quod quinquies Hell. II 3, 30—45, semel in quarto et quinto libro legitur (IV 8, 4; V 1, 14); *δή* bis in Cyropaediae sexto octavi libri capite, 15 ies in tertio primi libri (quater in eadem sectione I 3, 2 et 9!) — Eadem ratione praecedentis capitis (Hell. VII 1) partem primam (§ 1—27) post alteram (§ 27 –46) scriptam esse facile Sauppius probare posset, si forte argumentum, ut caput discinderetur, permitteret, cum in ducenis versibus *μέντοι* illic bis, hic octies legatur.

1) cfr. Stedefeld, De Lysandri Plutarchei fontibus. 1867. W. Fricke, Quellen Plutarchs im Leben d. Nihias u. Alkibiades. 1869.

mense Delphico Bucatione cum Attico Metageitnione f aequali celebrata esse constat atque septimo huius men die agi coepisse verisimile est (cfr. Kirchhoff, Ber. d. B Acad. 1864 p. 129). Itaque Iason secundum nostram te porum rationem antequam mensis Augustus exiret int fectus esse videtur (cfr. Ideler, Chronolog. I 385). Secu est fratre Polydoro sublato Polyphron, qui per unum m annum regnum obtinuit, cum ab Alexandro mortem pa Polydori ulturo a. 369 interficeretur (Hell. VI 4, 34; P Pelop. 29). Alexandrum autem Diodorus XV 61 per unde annos regnasse dicit, itaque a. 358 occisus est[1]), ı a. 357, quo Diodorus alio loco (XVI 14) eum peri tradit, ubi quae compluribus annis acciderunt, ea uno ten narrasse videtur. Si vero a. 358 Alexander interiit, qui ei successit Tisiphonus aliquamdiu iam regnum obtin cum Xenophon Hellenicorum librum VI componeret, vix ante a. 357 Hellenica ad finem perducere potuit. Ce cum a. 354 Xenophontem defunctum esse supra dem stratum sit (p. 31 sq.), inter a. 358 et 354 extrema Histo Graecae pars composita est[2]).

1) Quamquam quo anno Alexander interfectus sit, non constat, tamen eum iam a. 359, quo eum mortuum esse dicunt (tonius (F. H. app. 15; epit. p. 23.), Grotius (XI 288 n. 2.), Cu (Gr. Gesch. III⁵ 431) interiisse persuadere mihi non possum. N enim est, cur Alexandrum undecim imperii annos confecisse nege neque ex Plutarcho, qui eum ex vita decessisse dicit ὀλίγῳ ὕστ quam Thebani Pelopidae mortem ulti essent a. 363 (Pelop. c. 35), a mentum ducendum esse existimo, cum hoc indiligentius dictum etiamsi Alexandrum a. 359 periisse facimus. Stesiclidem vero nostra sententia non pugnare p. 31 sq. demonstratum est. Si Alexa undecim imperii annos complevit a. 358, vel si Polyphron aliqua una cum Polydoro regnavit, a. 357 mortuus est.

2) H. Sauppius nuper alterum libri septimi caput, quo Phliasic res a. 369—367 gestas Xenophon narrat, digressionem esse priore pore compositam et libro confecto insertam contendit (Goetti Nachr. 1882 p. 297 sqq.). Quod ut probaret, eam unam rationem lit, quod particula μέντοι, quam in prioribus Historiae Graecae l perraro, posterioribus multo crebrius legi recte animadvertit, hoc c semel modo legitur (VII 2, 4.). Sed fieri non potest, ut una part ad singulorum capitum aetatem constituendam utamur, cam saej

Sed antequam Hellenica missa facere possumus, pauca de eorum sententia addenda sunt, qui non ipsius Xenophontis opus, sed epitomen modo ex eo factam nobis servatam esse putant. Quae primus Campius, Hellenicorum interpretator Germanicus, sibi persuasit (a. 1856 praef. p. VIII), deinde Graecus doctus *Κυπριανός* (*περὶ τῶν Ἑλληνικῶν τοῦ Ξενοφῶντος.* 1859. Athen.) nec non vv. dd. Jungclaussen (progr. Meldorf 1862), D. Fabricius (Jahrb. f. Philol. t. 93,455), Grosser (ibid. p. 721; t. 95 p. 737; t. 105, p. 723). Qui ad sententiam suam confirmandam duobus potissimum argumentis usi sunt. Primum enim librum tot vitiis corruptum et in quo tot res praetermissae sunt, quae commemorandae fuerunt, a Xenophonte scribi potuisse negant, deinde Plutarchum alia et ea ampliora Xenophontis Hellenica legisse contendunt. Quorum primum argumentum apud neminem valebit, qui de indole atque ingenio Xenophontis aliter iudicat, et eum non nescio quem praeclarum ac singularem historicum fuisse, sed rebus militaribus et equestribus magis eminuisse quam litteris, praecipueque Hellenicis non rerum gestarum scriptoris officiis functum esse, sed Agesilaum et Lacedaemonios praedicandi occasiones quaesivisse, vituperandi evitasse, et quae adversaria illis acciderunt, silentio praeteriisse existimat. Alterum nemo iam sibi persuadebit, cum Plutarchum non Xenophontis Hellenicis, sed Ephoro, qui Xenophontem legit, usum esse constet[1]). Quare quae plura Plutarchus exhibet quam Xenophon, ea non Hellenica ab eo ampliora quam nos habemus lecta esse probant, sed Ephoro tribuenda sunt. Neque minus Diodorus

---

eodem libro per multas paginas aliqua particula non legatur, deinde crebro in eadem pagina cfr. *δήπου*, quod quinquies Hell. II 3, 30—45, semel in quarto et quinto libro legitur (IV 8, 4; V 1, 14); *δή* bis in Cyropaediae sexto octavi libri capite, 15 ies in tertio primi libri (quater in eadem sectione I 3, 2 et 9!) — Eadem ratione praecedentis capitis (Hell. VII 1) partem primam (§ 1—27) post alteram (§ 27 —46) scriptam esse facile Sauppius probare posset, si forte argumentum, ut caput discinderetur, permitteret, cum in ducenis versibus *μέντοι* illic bis, hic octies legatur.

1) cfr. Stedefeld, De Lysandri Plutarchei fontibus. 1867. W. Fricke, Quellen Plutarchs im Leben d. Nihias u. Alkibiades. 1869.

Ephoro usus est, qui in Cyri expditione quoque enarranda Sophaenetum sequitur, non Xenophontem. Itaque illorum sententia a Buechsenschuetzio (Jahrb. f. Philol. t. 103 p. 217), Breitenbachio (Mus. Rh. XXVII 497), Vollbrechtio (De Xenophontis Hellenicis in epitomen non coactis. Hannov. 1874) recte improbata atque satis refutata est. Qui quae disseruerunt, iis addendum est, quod cur primae partis consilium ac ratio non minus quam genus dicendi et particularum potissimum usus a ceteris libris adeo recedant, explicari non posset, si non ipsius Xenophontis Historiam non continuo compositam, sed epitomen ex ea factam haberemus. Atque Agesilai quoque auctorem epitome illa, non Hellenicis usum esse oporteret, qui ad verbum saepe Hellenica qualia nos legimus, descripsit, qua causa Grosserus, ut Agesilaum quoque in epitomen coactum diceret, commotus est (Jahrb. f. Philol. 93 p. 721).

§ 16. De Anabaseos aetate.

Nunc de tempore, quo Anabasis composita sit, dicendum est, qua dé re multum inter se homines docti dissentiunt. Quorum Boeckhium quidem (Simultas p. 26), qui paulo post Cyri expeditionem Anabasim conscriptam esse statuit, recte Kruegerus improbavit (Authentia p. 4 n.), cum et Ctesiae librum Xenophon laudet (Anab. I 5, 28) et Lacedaemonios iam non Graeciae imperium tenere dicat (Anab. VI 4, 9: *ἦρχον δὲ τότε πάντων Ἑλλήνων οἱ Λακεδαιμόνιοι*). Neque magis ut Bergkium (Encyclop. s. I t. 81 p. 390) Sieversiumque (Gr. Gesch. etc. p. 42, n. 8) qui eam circa pacis Antalcideae tempus scriptam esse censuerunt, refellamus opus est, cum Gryllum Diodorumque vicesimum fere annum egisse, cum tertium quinti libri caput componeretur, appareat (cfr. p. 25). Accedit, quod anniversarii illi dies festi non prius quam a. 383 instituti esse videntur. Nam Megabyzum non per belli tempus Olympia spectaturum ex Asia in Graeciam venisse, sed a. 384, quo prima post pacem initam primaque postquam Scillunte Xenophon consedit Olympia acta sunt, recte Nitschius (l. l. p. 48) monuit. Grotius contra (H. o. Gr. IX 245) Schen-

keliusque (Wien Ac. Ber. LX 634; LXXX 158) Anabasim cum Scillunte Xenophon iam expulsus esset (itaque si recte p. 27 iudicavi, post a. 371), conscriptam esse censuerunt. Quorum Grotius quidem de hac sua sententia fusius non disputavit, Schenkelius Xenophontem si illo tempore Scillunte habitasset, Anab. V 3, 9 et 10 non imperfecta forma verborum usurum fuisse dicit, sed praesentibus. Sed Xenophon praesenti historico, quo §§ 7 et 8 res narravit, misso § 9 ad aoristum transiit, cum dicat: *ἐποίησε δὲ καὶ βωμόν* etc., quare imperfectis illis nihil aliud significari existimo, ac saepius facta esse quae de diebus festis filiorumque venationibus illic referuntur. Scillunte[1]) igitur ante autumnum a. 371, sed, cum saepius iam Xenophon anniversarios illos dies festos a. 383 institutos celebrasset, post a. 380 Anabasis composita est. Ut vero eam non paullo post a. 380 sed ipso fere a. 371 si non compositam, at evulgatam iudicem, ea ratione adducor, quod quo tempore scripta est, eo regem Persarum amicum habere Lacedaemoniorum intererat. Dissimulavit enim Xenophon Cyri ad Lacedaemonios legationem (Diod. XIV 19) non minus quam auxilium Cyro ab illis missum, neque unde Chirisophus milites suos collegisset aperuit (Anab. I 4, 3). Maxime vero regem Persarum suis rebus faventem habere a. 371 Lacedaemoniorum intererat, cum pacis renovandae causa legati Graecorum mense Iunio (Plut. Ages. 28; Curtius III 294; Grote X 222) Spartam convenirent, quo et ipse Artaxerxes legatum misit (Diod. XV 50). Qua ratione iam Kruegerus (Anthentia Anab. p. 4 n.) commotus est, ut in idem tempus, quamquam non sine aliqua haesitatione Anabasim referret. Itaque Anabasim iam antea fortasse conscriptam vere a. 371 primum in vulgus editam esse puto. Tam sero autem ut suas res gestas

1) Nitschius recte quidem iudicavit, sed argumento non satis firmo sententiam suam probavit, qui ex perfectis § 13 adhibitis (*ναὸς εἴκασται — ξόανον ἕστηκεν — στήλη ἕστηκεν*) concludit, in ipsa Scillunte Xenophontem haec scripsisse (l. l. p. 42). Sacellum enim, simulacrum, titulus lapidi incisus illo expulso manserunt, cum neque regionem vastatam esse traditum sit, et sive ipse Pausanias sive testis eius aediculum ipse viderit (Paus. V 6, 4).

scriberet, Xenophon fortasse Sophaeneti libro commotus est, qui Stephano Byzant. teste Cyri expeditionem enarravit (Mueller F. H. G. II 74).

Restat, ut Anabasis an Hellenicorum altera pars prius conscripta esse videatur, breviter disseramus. Qua in re primum de iis dicendum est, quae Hell. III 1, 2 leguntur, ubi Xenophon de Cyri expeditione non ipsius librum sed Themistogenis Anabasim laudat his verbis: *ὡς μὲν οὖν Κῦρος στράτευμά τε συνέλεξε καὶ τοῦτ' ἔχων ἀνέβη ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν καὶ ὡς ἡ μάχη ἐγένετο καὶ ὡς ἀπέθανε καὶ ὡς ἐκ τούτου ἀπεσώθησαν οἱ Ἕλληνες ἐπὶ θάλατταν, Θεμιστογένει Συρακοσίῳ γέγραπται.* Quae quidem crux adeo interpretes vexavit, ut Lionius, qui Anabasim edidit a. 1822, locum spurium diceret (p. XVII); quod cum ille argumentis satis gravibus probare non potuerit, quid aliud hoc loco faciendum sit, videamus. Atque Dav. Schulzium quidem (Cyropaed. epilog. p. 29) Kruegerumque (Vita Xen. p. 14), qui omnino Themistogenem ex scriptorum numero exemptum voluerunt, nec non Niebuhrium, qui Themistogenem personatum Xenophontem dicit (Mus. Rh. I 169; Vorles. über alte Gesch. II 2, 43), missos facere possumus, cum eum rerum gestarum scriptorem fuisse Hesychius testetur, qui ab eo praeter Anabasim quae Xenophontis nomine feratur, de patria quoque Syracusis libros compositos esse tradit[1]). Neque maiorem Bornemannus assensum tulit, qui illa verba ita vertit, ut Themistogenis in usum Anabasim a Xenophonte compositam esse diceret (Epilog. Cyrop. p. 47), neque nostram Anabasim Xenophontis opus esse probare oportebit (cfr. Krüger, de authentia et integritate Anabaseos). Itaque inter duas sententias ambigi potest: aut enim Themistogenes quoque u Xenophon Sophaenetusque Anabasim composuit, aut ipsius librum Xenophon hoc loco Themistogeni tribuit. Atqu Themistogenem Anabaseos, quae temporum iniquitate interi isset, auctorem fuisse et Letronnius (Bibl. univ. LI 38Ɛ

---

1) Suidas s. v.: *Θεμιστογένης Συρακούσιος ἱστορικός. Κύρου Ἀνάβασις ἥτις ἐν τοῖς Ξενοφῶντος φέρεται καὶ ἄλλα τινὰ περὶ τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος* cfr. A. v. Gutschmid (Hesych. ed. Flach.. s. v. *Θεμιστογένης*).

et Creuzerus (Hist. Kunst d. Griech. 230) et Morus (ed. Hellen. p. XXXVIII) sibi persuaserunt, quamquam ille a nullo scriptore praeter Xenophontem laudatur (cfr. Mueller, F. H. G. II 74), cum Suidas nostram Anabasim intellegat. Quorum sententia quamquam per se veri non dissimilis est, eam tamen difficultatem habebat, quod, quamdiu Hellenicorum l. III post a. 357 scriptus esse existimabatur, non apparebat, cur Xenophon Themistogenis, non ipsius Anabasim, quae diu composita esset, laudavisset. Sed hanc quoque difficultatem Nitschius dissoluisse videbatur, qui Hellenicorum librum tertium a. 384 compositam esse probare conatus Xenophontem Themistogenis Anabasim laudasse dixit, quod ipsius nondum composita fuisset, et in Hellenicis earum rerum, quae a. 401—399 acciderunt, propterea mentionem factam non esse censuit, quod Xenophon Anabaseos scribendae consilium iam cepisset (Nitsche l. l. p. 42). Quae probabilissima videbantur, cum Anabasim post a. 380 scriptam esse constaret. At Nitschii de alterius Hellenicorum parte iudicium, quod Schenkelius quidem (X. Stud. I 635, II 15) Dittenbergerusque (Hermes XVI 331 n.) secuti sunt, argumentis non satis firmis niti supra demonstratum est (p. 57 sq.); itaque eodem iure affirmari potest, Xenophontem Cyri expeditionem eo consilio in Hellenicis non enarrasse, ne quae in Anabasi rettulisset, repeteret[1]). Atque inter veteres homines doctos ea iam sententia pervulgata erat, ut Anabasim a Xenophonte alieno nomine editam esse putarent, quo fide dignior videretur. Velut Plutarchus haec exhibet: *Ξενοφῶν μὲν γὰρ αὐτὸς ἑαυτοῦ γέγονεν ἱστορία, γράψας ἃ ἐστρατήγησε καὶ κατώρθωσε καὶ Θεμιστογένη (λέγει) περὶ τούτων συντετάχθαι τὸν Συρακούσιον, ἵνα πιστότερος ᾖ διηγούμενος ἑαυτὸν ὡς ἄλλον, ἑτέρῳ τὴν τῶν λόγων δόξαν χαριζόμενος* (Glor. Athen 345 f. c. I). Fere eadem vero Tzetzes tradit (Schol. ad Bibl. Paris. cod. 2565 epist. 21): *Ξενοφῶν ἐπέγραψε τὴν Κύρου Ἀνάβασιν Θεμιστογένει Συρακοσίῳ* et Chiliad. VII 939, ubi Xenophon-

1) Quae in Graecia illo tempore gesta sunt, ea non plane neglexisse, sed Hell. III. 2, 21—31 enarrasse videtur (cfr. Grote H. o. G. IX 316, 1; Clinton ad a. 401—399; Diodor. XIV 31).

tem Phidiae exemplum secutum hoc Themistogeni amasio dedisse dicit. Atque Aristophanis quoque exemplum optime cum nostro comparatur, qui priores comoedias Callistrati Philonidisque nomine in scenam dedit. Quare nostra aetate Fabricius (Bibl. gr. I 3, 4), Mitford (Gr. Gesch. V 433 interpr. germ.), Kruegerus (Vita p. 14; Authent. Anab. p. 19) A. de Gutschmid l. l. Xenophontem Themistogeni Anabasim edendam tradidisse censuerunt. Quorum sententiae eo minus assentiri dubito, quod prorsus alia de causa Anabasis mihi ante Hellenicorum alteram partem composita esse videtur. Cum enim primis libris Xenophontem nullis fere particulis uti, postremis permultas inserere supra demonstratum sit (p. 40 sqq.), huic rei non plus auctoritatis quam debetur, tribuere mihi videor, si eiusdem generis scriptorum aetatem hoc modo constituere aggressus eum librum posteriorem esse dico, quo quae potissimum particulae rarae sunt in prioribus scriptis, vulgares in posterioribus, eae crebrius leguntur. Quod in Hellenicorum alteram partem cadit, qua et μήν et γὲ μήν et μέντοι multo frequentius occurrunt quam in Anabasi altera parte maiore[1]. Itaque Hellenicorum alteram partem post Anabasim conscriptam esse existimo, et cum autumno a. 371 Xenophontem Scillunte expulsum esse demonstraverimus, illud opus Corinthi post a. 371 compositus esse videtur. Arctius vero aetatem eius circumscribere non audeo.

§ 17. De Oeconomico.

Transeo ad scripta Socratica, quae sunt Memorabilia, Oeconomicus, Convivium. Et de his quidem certi aliquid affirmare difficile est, cum omnia fere aetatis testimonia desint. Id unum constat, quod Memorabilia non statim post Socratis mortem, sed cum complures iam libri, quibus

1) Μήν (praeter ἦ μήν) 24 ies, γὲ μήν sexies, μέντοι 56 ies per Anabaseos 184 paginas leguntur, per nonaginta paginas Hell. p. II μήν 22 ies, γὲ μήν 15 ies, μέντοι 81 ies inveni. Usu particulae δή non multum duo libri differunt, γέ propter frequentiorem particulae γὲ μήν usum paullo saepius in Hell. altera parte occurrit.

ille sive accusaretur sive defenderetur, in vulgus editi essent, composita, Oeconomicumque propter Cyri minoris memoriam factam (IV 18) post a. 401 vel 399 scriptum esse oportet; qua quidem de re etiamsi certa testimonia deessent, vix quisquam dubitaret. Itaque ad argumenta ex genere dicendi ducta recurrendum est. Atque Oeconomicum, in quo Xenophon primo sed perraro particula μήν, nunquam autem γὲ μήν utitur, aliquantum temporis post Hellenicorum partem primam, sed ante Memorabilia Conviviumque scriptum esse Dittenbergerus demonstravit; quare Xenophontem, cum in agris Scilluntiis otio et securitate frueretur, ad hunc librum componendum aggressum esse conicere non absonum videtur. Scillunte vero non prius quam pace a. 387 facta consedit, cum usque ad a. 389 Agesilaum sequeretur (cfr. p. 21). Artius autem libri aetatem circumscribi non posse existimo, nam quod nonnullis velut Croisetio placuit, qui propterea, quod Xenophon agri colendi peritum se praeberet, librum aliquot annis postquam Scilluntem venisset, scriptum esse putaverunt, id probari non potest, cum Athenisne iam antequam ad Cyrum proficisceretur, peritus fuerit, nesciamus.

§ 18. De Memorabilibus.

Memorabilia deinde ad Polycratis rhetoris κατηγορίαν Σωκράτους refutandam composita esse Cobetus primus sibi persuasit (Nov. Lect. 661—681). Illum enim declamationem κατηγορίαν Σωκράτους inscriptam composuisse testatur Diogenes Laertius II 39. Quae ut sibi persuaderet, Cobetus duobus Polycratis fragmentis commotus est, servatis alterum ab Isocrate (Busir. c. 5), alterum in scholio quodam ad Aristidis orationem ὑπὲρ τῶν τεττάρων (II 133, 17; Dindorf III p. 480, 24)[1]), quibus Socrati similia obiciuntur iis, quae Xenophon illi vitio versa esse dicit Mem. I 2, 12 et 58.

1) Isocrat. Busir. c. IV Σωκράτους δὲ κατηγορεῖν ἐγχειρήσας ὥσπερ ἐγκωμιάσαι βουλόμενος Ἀλκιβιάδην ἔδωκας αὐτῷ μαθητήν, ὃν ὑπ' ἐκείνου μὲν οὐδεὶς ᾔσθετο παιδευόμενον, ὅτι δὲ πολὺ διήνεγκε τῶν ἄλλων, ἅπαντες ἂν ὁμολογήσειαν. — schol. l. l.: τοῦτο δ' οὐκ ἀργῶς εἶπεν, ἀλλ' ἐπειδὴ οἶδε τὸν Σωκράτη πρὸς τοὺς νέους ἀεὶ Ὀδυσσέα θαυμάζοντα διὰ τὴν τοιαύτην πρᾶξιν, ὡς Πολυκράτης ἐν τῷ κατ' αὐτοῦ λόγῳ φησὶν καὶ

Itaque cum et his locis et saepius per illud caput Xenophon in criminibus refutandis hac formula utatur: ἔφη δ' ὁ κατήγορος (Mem. I 2, 9. 12. 49. 51. 56. 58; cfr. § 26), Cobetus Polycratem, non Meletum, Anytum, Lyconem, quos τοὺς γραψαμένους Xenophon diceret, τὸν κατήγορον esse censuit. Qui assensum tulit Dindorfii (ed. p. XXXIII sqq.), Sauppii (ed. p. XI), Bergkii (Encycl. I 81, 392. 401), nec non Brandisii (Gesch. d. gr. u. röm. Phil. II 32) et Ueberwegii (Grdriss. d. Gesch. d. Phil. I 104). Sed multa huic sententiae obicienda sunt, quae primus Buechsenschuetzius (Phil XXII 691), deinde optime Breitenbachius (Jahrb. f. Phil t. 99 p. 801) exposuerunt, quibus Blassius (Att. Ber. II 339 assentitur, et cum Schenkelius Cobetum defendendum sib sumpsisset (Xen. Stud. II (Abh. d. Wien. Acad. t. 80 p. 87 ei a. 1876 Breitenbachius respondit (Jahrbb. t. 113, 455 Itaque Polycrates an ipsi Socratis accusatores intellegend sint, videamus.

Ac primum quidem Buechsenschuetzius et Breitenbachius recte monuerunt, mirum esse, quod ne nomen quidem Polycratis, cuius contra obtrectationes librum a Xenophonte compositum esse illi censuerunt, in Memorabilibus legeretu Quod Dindorfius l. l. ita refellere studuit, ut Xenophonte adeo et accusatores illos et Polycratem adversatum detest tumque esse diceret, ut ne nomina quidem eorum comm morare vellet[1]; sed ne Schenkelium quidem assentiente habuit, qui ipse hanc difficultatem alio modo tollendam cen suit. Nomina enim a Xenophonte eo consilio dissimulata es dixit, ut sine ira et studio agere videretur. Sed quo mod de accusatoribus egit, eo ille de Polycrate agere non p tuit; Anyti enim, Meleti, Lyconis nomina cum nemini, q Socratem accusatum esse audivisset, ignota essent, illos το

Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Πολυκράτην ὑπὲρ αὐτοῦ· ὁ μὲν συνιστῶν, ὅτι τ δημοκρατίαν ἐκ τούτου καταλύειν ἐπεχείρει, ἐπαινῶν τὸν Ὀδυσσέα τ μὲν βασιλεῦσιν ἐπιτιμῶντα λόγῳ, τοὺς δὲ ἰδιώτας τύπτοντα, ὁ δὲ οὐδ λέγων φροντίζειν μᾶλλον αὐτὸν τῆς πράξεως.

1) Locos enim Mem. IV 4, 4 et IV 8, 4, quibus Meleti ment fit, subditivos esse et Dindorfius et Schenkelius dicunt.

γραψαμένους dicere potuit, nominibus non additis; Polycratis autem declamationem tam celebrem fuisse, ut nemo posset dubitare, quin illum Xenophon intellectum vellet, ea re non satis probatur, quod Lysias Apologia Socratis composita eum refutandum sibi sumpsit (Vit. X orat. p. 836 b; schol. Aristid. III p. 320, 4 et 25; 480, 32 Dind.). Neque ut recte Xenophon a legentibus intellegeretur, cum modo τοὺς γραψαμένους, modo τὸν κατήγορον diceret non docens, quis hic, qui illi essent, fieri potuít; nam ne plurali quidem semper utitur, sed I 2, 64 ὁ γραψάμενος commemoratur, ubi Meletus intellegendus est. Itaque omnino is accusator intellegendus esse videtur, qui in iudicio contra Socratem dixit.

Deinde ne eadem quidem, quae a Polycrate Socrati obiecta esse Isocrates Aristidisque scholiasta tradunt, a Xenophonte refelluntur; Polycrates enim rhetorum more veritatis fide non servata res in maius extulit, quippe qui Socratem ὄρνεα καὶ κύνας καὶ τὰ τοιαῦτα σέβειν δεῖν dixisse (cfr. hypoth. ad. Isocr. Busir.) et rem publicam eversurum fuisse cum Ulixem Homericum reges castigantem, plebem verberantem (Jl. B. 188 s.) laudasset, tradiderit (schol. l. l.), Alcibiademque illi discipulum dederit (Isocr. Busir. l. l.). Xenophon autem ementientes illas superiectiones, quas si Polycratis refutandi causa Memorabilia scripsit, refellere debuit, ne commemoravit quidem, sed ab iis modo Socratem defendit, quae accusatores illi vitio verterant. Nam ab accusatore Socrati obici dicit, quod ἕτερα καινὰ δαιμόνια εἰσφέροι (I 1, 1 sq.) et quod Homerum eos laudantem faciat, qui homines plebeios pauperesque verberibus afficerent (I 2, 58), et quod Alcibiades Critiasque consuetudine Socratis usi essent; quibus opprobriis refutandis ipse operam navat. Sed si Polycratem redarguere voluit, neque respublica evertenda neque canes adorandi praetermittendi Polycratesque vituperandus fuit, quod Alcibiadem eius discipulum dixisset, qui nullius unquam magister fuisset; cur vero Critiam addiderit, cuius ille ne mentionem quidem fecisse videtur, omnino non intellegitur. Omnia igitur Polycratis propria rhetorisque naturae consentanea a Xenophonte negleguntur,

persuaserunt, de aetate dissensio sit. Brandisius (l. l. p. 32) enim Memorabilia circa a. 394 composita esse censuit, Cobetus eodem fere tempore, quo accusatio Polycratis et Lysiae apologia scriptae essent, Xenophontis quoque Commentarios ortos esse putavit (Nov. Lect. p. 678), Schenkelius non multum post a. 390 (Xen. Stud. II p. 153), Dindorfius circa Ol. 99 (= 384—380 a. C. n.). Quorum Brandisius quidem ex ipsa sua sententia facile refutatur, cum muros longos a Conone a. 393 restitutos a Polycrate commemoratos esse Favorinus testetur[1]. Neque quae Schenkelius contendit, probabiliora sunt, qui cum Pfundium (de Isocratis vita et scriptis p. 18) secutus Polycratis declamationem a. 392 compositam esse Xenophontemque a. 390 fundum Scilluntium accepisse censeat, Memorabilia paullo post a. 390 scripta primumque Xenophontis opus esse[2]) dicit. Neque enim Polycratem iam a. 392 scripsisse[3]), neque Xenophontem postquam Scillunte consedisset, statim Memorabilia componere coepisse constat, et Cynegeticum iam a. 402 ortum esse demonstrasse mihi videor. Cum Dindorfio vero quamquam de Polycrate dissideamus, de Memorabilium tempore tamen consentio, cum et ego Ol. 99 (i. e. inter a. 384 — 80) fere librum compositum esse censeam. Cynegeticum enim, Hellenicorum p. I, Oeconomicum ante Memorabilia confecta esse particularum usu demonstratum existimo et omnino

---

1) Fav. apud Diog. Laert. II 39: *Πολυκράτης ἐν τῷ λόγῳ μνημονεύει τῶν ὑπὸ Κόνωνος τειχῶν ἀνασταθέντων, ἃ γέγονεν ἔτεσιν ἓξ τῆς τοῦ Σωκράτους τελευτῆς ὕστερον.*

2) Eadem, quae Schenkelius de Memorabilibus Xenophontis scriptorum antiquissimis disputavit, Delbrueckius sibi persuasit, qui vel in Asia inter a. 399 et 396 nostrum librum ortum esse censuit (Xen. p. 59 n. 10), quocum consentit Kuehnerus ed. p. 36.

3) Blassius (Att. Bereds. II 226) Isocratis Busirim paullo post Polycratis Busirim Socratisque accusationem editum non sine aliqua probabilitatis specie ad Panegyrici tempus reiecit, qui 385 vel 380 compositus est (Blass. l. l. p. 230), cum Isocrates sophistam probatum spectatumque se gerat. — Mihi de Polycrate nihil aliud constare videtur, quam quod eum inter a. 393 et 380 scripsisse oportet, cum Lysias eum sibi refellendum sumeret, cuius nullam genuinam orationem post a. 380 compositam Dionysius Hal. legit (de Lys. XII; Blass A. B. I 335).

Olympia habitaret, quo ex omni Graecia spectandi causa homines convenerunt. Et cum Polycratis declamationem Cobetus Schenkeliusque in recessu Scilluntio a Xenophonte lectam esse censeant, cur alios libellos, litteras amicorum Atheniensium, nuntios ad illum pervenisse negaverint, non perspicuum est. Accedit, quod cum ipsius Xenophontis verbis illorum sententia pugnat, qui aliorum de Socrate et libros et sermones commemorat (Mem. I 4, 1: *ὡς ἔνιοι γράφουσί τε καὶ λέγουσι περὶ Σωκράτους*; cfr. IV 3, 2). — Restat igitur, ut de illius capitis paragraphis 26 et 29 pauca addamus, quibus omnem hanc litem dirimi Dindorfius censuit l. l. Ubi cum de accusatore agens praesenti tempore Xenophon utatur[1], illi inde colligere voluerunt, ei hic cum libro, non cum oratione apud iudices habita rem esse. At quis scriptor incalescens praesentia non dicit, quae praeterita sunt? Quare ex his argumentum ad sententiam illorum confirmandam duci posse nego. Immo qui Polycratem intellectum volunt, non possunt non pro *ἔφη ὁ κατήγορος* sexies corrigere *φησί* (cfr. Breitenbach l. l. p. 813).

Omnino autem Cobetus Schenkeliusque plus debito duobus illis Polycratis fragmentis tribuisse videntur. Quae enim Socrati crimini daret, ea ab illo plane ficta esse minime probabile est, sed quae ab accusatoribus obiecta per omnium ora ferrentur, ea rhetorum more supra verum elata repetivisse videtur. Quae cum Xenophonti quoque refellenda essent, non mirum est, quod similia interdum atque in Polycratis accusatione in Memorabilibus leguntur.

Sed ne diutius iam in re, quae ad quaestionem propositam non prorsus pertinet, commoratus sim vereor. Nam ut Xenophontem Polycratis refutandi causa Memorabilia composuisse faciamus, tamen ad aetatem libri constituendam non multum proficimus, cum inter eos ipsos, qui haec sibi

1) § 26 *εἶτα εἰ μέν τι [Κριτίας καὶ Ἀλκιβιάδης] ἐπλημμελησάτην, τούτου Σωκράτην ὁ κατήγορος αἰτιᾶται; ὅτι δὲ νέω ὄντε αὐτὼ . . . . Σωκράτης παρέσχε σώφρονε, οὐδενὸς ἐπαίνου δοκεῖ τῷ κατηγόρῳ ἄξιον εἶναι;* 28 *πῶς ἂν οὖν δικαίως τῆς οὐκ ἐνούσης αὐτῷ κακίας αἰτίαν ἔχοι;* 29 *ἀλλ' εἰ καὶ αὐτὸς μηδὲν πονηρὸν ποιῶν ἐκείνους φαῦλα πράττοντας ὁρῶν ἐπῄνει, δικαίως ἂν ἐπιτιμῷτο.*

persuaserunt, de aetate dissensio sit. Brandisius (l. l. p. 32) enim Memorabilia circa a. 394 composita esse censuit, Cobetus eódem fere tempore, quo accusatio Polycratis et Lysiae apologia scriptae essent, Xenophontis quoque Commentarios ortos esse putavit (Nov. Lect. p. 678), Schenkelius non multum post a. 390 (Xen. Stud. II p. 153), Dindorfius circa Ol. 99 (= 384—380 a. C. n.). Quorum Brandisius quidem ex ipsa sua sententia facile refutatur, cum muros longos a Conone a. 393 restitutos a Polycrate commemoratos esse Favorinus testetur[1]. Neque quae Schenkelius contendit, probabiliora sunt, qui cum Pfundium (de Isocratis vita et scriptis p. 18) secutus Polycratis declamationem a. 392 compositam esse Xenophontemque a. 390 fundum Scilluntium accepisse censeat, Memorabilia paullo post a. 390 scripta primumque Xenophontis opus esse[2]) dicit. Neque enim Polycratem iam a. 392 scripsisse[3]), neque Xenophontem postquam Scillunte consedisset, statim Memorabilia componere coepisse constat, et Cynegeticum iam a. 402 ortum esse demonstrasse mihi videor. Cum Dindorfio vero quamquam de Polycrate dissideamus, de Memorabilium tempore tamen consentio, cum et ego Ol. 99 (i. e. inter a. 384 — 80) fere librum compositum esse censeam. Cynegeticum enim, Hellenicorum p. I, Oeconomicum ante Memorabilia confecta esse particularum usu demonstratum existimo et omnino

---

1) Fav. apud Diog. Laert. II 39: *Πολυκράτης ἐν τῷ λόγῳ μνημονεύει τῶν ὑπὸ Κόνωνος τειχῶν ἀνασταθέντων, ἃ γέγονεν ἔτεσιν ἓξ τῆς τοῦ Σωκράτους τελευτῆς ὕστερον.*

2) Eadem, quae Schenkelius de Memorabilibus Xenophontis scriptorum antiquissimis disputavit, Delbrueckius sibi persuasit, qui vel in Asia inter a. 399 et 396 nostrum librum ortum esse censuit (Xen. p. 59 n. 10), quocum consentit Kuehnerus ed. p. 36.

3) Blassius (Att. Bereds. II 226) Isocratis Busirim paullo post Polycratis Busirim Socratisque accusationem éditum non sine aliqua probabilitatis specie ad Panegyrici tempus reiecit, qui 385 vel 380 compositus est (Blass. l. l. p. 230), cum Isocrates sophistam probatum spectatumque se gerat. — Mihi de Polycrate nihil aliud constare videtur, quam quod eum inter a. 393 et 380 scripsisse oportet, cum Lysias eum sibi refellendum sumeret, cuius nullam genuinam orationem post a. 380 compositam Dionysius Hal. legit (de Lys. XII; Blass A. B. I 335).

antequam Scillunte consedisset, Xenophontem ad ampliorem librum scribendum aggressum esse verisimile non est. Anabasim vero a Memorabilibus aetate superari, Memorabilium genere dicendi probatur, quod ab Anabaseos elegantia nimium quantum recedit. Qua potissimum ratione Schenkelius ad eam sententiam adductus esse videtur, ut Memorabilia post Alexandri Magni aetatem ab interpolatore, qui Atheniensis non esset, retractata putaret.

At Schenkelius demonstrare quoque studuit, Memorabilia, Oeconomicum, Convivium unum esse opus, quod a Xenophonte continuo compositum postea in tres partes divulsum esset (Xen. Stud. II 144). Nam ultimum Memorabilium caput (IV 8) a Xenophonte alienum putat, et cum Memorabilia epilogo carere non possent, Oeconomicum una cum iis editum esse sibi persuasit Conviviumque illis addit, ut omnia scripta, quibus Xenophon Socratem disputantem fecit, uno corpore contineantur. Quam in sententiam ea una ratione commotus abiit, quod Oeconomicus qualem nunc legimus, incipit: *Ἤκουσα δέ ποτε αὐτοῦ καὶ περὶ οἰκονομίας τοιάδε διαλεγομένου.* Apparere enim dicit, Xenophontem tali prooemio uti non potuisse, nisi iam antea Socratem de aliis rebus disputantem fecisset; qua ratione Galenus iam ut Oeconomicum extremam Memorabilium partem esse censeret commotus est (ad Hippocr. *περὶ ἄρθρων* XVIII 301 Kuehn). Idem autem de Convivii prooemio iudicandum esse, cum peculiaris liber incipere non posset his verbis: *Ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ* ... etc. — Quae quidem Schenkelius non primus sibi persuasit, sed eadem Delbrueckius quoque docuit (Xenophon p. 59, 10; cfr. p. 40). Sed quamvis probabilia videantur, tamen illis obiciendum est, quod non modo Lacedaemoniorum Respublica[1]) incipit: *Ἀλλ' ἐγὼ ἐννοήσας ποτέ* .., sed etiam Philolaus teste Diogene Laertio VIII 85 initium fecit his verbis: *Φύσις δ' ἐν τῷ κόσμῳ ἁρμόχθη* .., nec non Heraclitus Ephesius: *Τοῦ δὲ λόγου τοῦδ' ἐόντος ἀεὶ*

---

1) Atheniensium Reipublicae prooemium, quod est: *Περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας* . . retractari potuit, cum libellus inter Xenophontis opera translatus Lacedaemoniorum Reipublicae adderetur.

ἀξύνετοι γίγνονται ἄνθρωποι (Hippolyt. Refut. omn. haeres. IX 9, 280 Mill.). Quae editores quidem adeo sibi persuadere non potuerunt, ut et Boeckhius (Philolaus p. 45 sq.) et Schusterus (Heraclit. Act. soc. phil. Lips. 1873 p. 51) illa fragmenta vera librorum initia esse negantes alio loco ea collocanda esse censerent. Quod in Heraclito certe fieri non potest, cum Aristoteles quoque (Rhetor. III 5 p. 1407 b. 14) Sextusque Empiricus (adv. mathem. VII 132) iis verbis librum coepisse testentur. Itaque tam inauditum quam Schenkelius putat, non fuisse videtur, tali prooemio in medias res transire. Sed omnino eum Oeconomici et Symposii prooemiis tantum auctoritatis tribuisse mirum est, qui omnium fere Memorabilium librorum prooemia adulterina et ab interpolatore addita esse existimat (cfr. Schenkl. l. l. p. 118. 123 sq. 144). Nonne illorum quoque librorum prima verba si non addi at retractari et mutari potuerunt a grammatico, qui Xenophontis dialogos Socraticos uno corpore lectos voluit? Itaque vix quisquam cum Schenkelio consentiet, nisi graviora argumenta ad sententiam eius probandam afferuntur; ex ea vero re, quod et ille et Langius[1]) ultimum Memorabilium caput subditivum putant, nihil proficiunt. Quamquam enim haec illa, quae in eo capite leguntur, suspicionem movent (imprimis § 3, quam delendam esse concedo), tamen ad ultimae paragraphi[2]) auctoritatem infringendam nihil grave illi attulerunt (Schenkl p. 143; Lange p. 43). Quae si a Xenophonte scripta est, Memorabilia epilogo non carent, sed optime concluduntur, cum Xenophon eorum, quae per librum disputata sunt, summam faciat his verbis: *ἐμοὶ μὲν δὴ τοιοῦτος ὢν οἷον ἐγὼ διήγημαι, εὐσεβὴς μὲν οὕτως, ὥστε μηδὲν ἄνευ τῆς τῶν θεῶν γνώμης ποιεῖν, δίκαιος δέ, ὥστε βλάπτειν μὲν μηδένα* etc., *ἐγκρατὴς δέ, ὥστε μηδέποτε προαιρεῖσθαι τὸ ἥδιον ἀντὶ τοῦ βελτίονος, φρόνιμος δέ, ὥστε*

1) De X. qu. f. Apologia et extrema Commentar. parte p. 42.

2) Mem. IV 8, 11. — Commemoratione dignum est, ipsum Krohnium, qui ex quattuor Memorabilium libris septem modo capita a Xenophonte scripta putat, hanc paragraphum ei tribuere (Krohn, Socrates u. Xenophon p. 147).

μὴ διαμαρτάνειν κρίνων τὰ βελτίω καὶ τὰ χείρω . . . ἐδόκει τοιοῦτος εἶναι, οἷος ἂν εἴη ἄριστός τε ἀνὴρ καὶ εὐδαιμονέστατος. εἴ δέ τῳ μὴ ἀρέσκει ταῦτα, παραβάλλων τὸ ἄλλων ἦθος πρὸς ταῦτα οὕτως κρινέτω. Quamquam enim hanc paragraphum leganter scriptam non esse concedo, tamen hanc ob causam Xenophonte abiudicandam esse non censeo. Mihi haec numeratio languens atque deformis Cynegetici memoriam ffert. — Sed ut illum vera vidisse et Oeconomicum cum Convivio alteram Memorabilium partem fuisse faciamus, amen neque Oeconomici prooemium ad septimum caput . IV annecti potest, sed ipse Schenkelius l. l. p. 151 intercidisse quaedam putat, neque eo modo aptus epilogus Memorabilibus additur. Nam ut ipsius Schenkelii verbis ıtar (l. l. p. 137): exspectatur epilogus, quo Xenophon breviter repetitis iis, quae in libro disputata sunt, falsa diceret atque inania, quae accusatores Socrati crimini dedissent. Quod neque Oeconomici neque Convivii fine Xenophon fecit. Vel Oeconomicus non modo epilogo caret, sed etiam nulla fere arte compositus est; nam cum initio scriptor Socratem cum Critobulo disputantem fecerit, inde a septimo capite Socrates ipsius cum Ischomacho colloquium narrat, quod usque ad finem libri continuatur, neque quomodo discesserint commemoratur, neque Critobuli iam ratio habetur. Itaque si quis liber, Oeconomicus epilogo caret, qui non perditus esse videtur, sed omnino a Xenophonte non scriptus. Quare Linckii quoque sententiam, qui Galenum secutus Oeconomicum Memorabilium quintum librum, Convivium vero singulare opus esse censuit (Hermes XVII 282), non probo. Convivium contra et arte multo cultiore et genere dicendi tam alacriore compositum est, ut haec ab eodem homine eodem fere tempore scripta esse persuadere mihi non possim. Inprimis autem Schenkelio obiciendum est, Convivium, quod per se optime ad finem perductum est, si Memorabilium extrema pars habeatur, epilogo carere quo totum defendendi Socratis opus Xenophon concluserit. Neque illi, quod l. l. p. 151 affirmat, ubi aptissime Convivium Oeconomico annecti dicit, concedendum est. Extremo enim Oecenomico Xenophon quantum

volentibus imperare agricolae interesset exposuit, quod deorum donum non nisi τοῖς ἀληθινῶς σωφροσύνῃ τετελεσμένοις datum dicit. Quid, quaeso, his commune cum Convivii prooemio, quod est: Ἀλλ' ἐμοὶ δοκεῖ τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔργα οὐ μόνον τὰ μετὰ σπουδῆς πραττόμενα ἀξιομνημόνευτα εἶναι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν ταῖς παιδιαῖς. οἷς δὲ παραγενόμενος ταῦτα γιγνώσκω, δηλῶσαι βούλομαι? Eodem iure Convivium Memorabilibus, aut cuivis alii libro, quo de Socrate agitur, apte asseri affirmari potest.

§ 19. De Convivio.

Cum igitur Schenkelii sententiam, qui Oeconomicum, Memorabilia, Convivium uno tenore a Xenophonte composita esse putat, non probemus, num quo alio modo Convivii aetas constitui possit videamus. Et Dittenbergerus quidem ut Symposium post Memorabilia compositum esse censeat, iis rationibus adductus est, quod et γὲ μήν multo frequentius in eo legitur quam in Memorabilibus, et plus semel μήν cum pronominibus et adverbiis interrogativis coniunctum (cf. I 31, III 13, IV 23. 55), quod in Oeconomico et Memorabilibus nusquam invenitur. Quibus rationibus ille quod voluit probasse mihi videtur. Casui enim tribui non potest, quod in illis libris, qui iterum iterumque τίς οὖν, πῶς οὖν, ἆρ' οὖν, hic illic τίς δή, πῶς δή exhibent (cfr. p. 39 sq.), nusquam τίς μήν legitur. Ex aliarum vero particularum usu ad illam sententiam confirmandam afferri quidem potest, quod δή, μέντοι, ὥσπερ, quas particulas in posterioribus Xenophontis scriptis multo frequentius quam in prioribus legi supra demonstratum est, in Convivio saepius quam in Oeconomico Memorabilibusque inveniuntur, tamen hocne dialogo agitatiori tribuendum sit, dubito. Omnino autem Convivium tam dialogi arte quam expositione rerum adeo librorum Socraticorum optimus est, ut hac quoque de causa post illos scriptum esse videatur. Sed alterum quoque argumentum ad aetatem circumscribendam praesto est; Plato enim Xenophonteum Convivium cognitum habuisse videtur, cum ipsius componeret, quippe qui multis in rebus Xenophontis

rationem habuerit[1]). Platonicum vero Convivium post a. 385 scriptum esse constat, cum Mantineae urbis in vicos distractae mentio fiat (p. 193 a; cfr. Grote X 50. Curtius III⁵ 232). Ipso autem a. 385 vel a. 384 Platonem recenti illo casu, ut a vera temporis ratione aberraret, commotum, haec scripsisse[2]) nulla re probatum esse video. Immo si Plato Mantinensium calamitatem paullo postquam accidit, neglecta temporum ratione velut ante Convivii tempus facta esset, commemoravisset, hoc legentes magis offendere debuit, quam aliquot annis interiectis. Quare eo acquiescendum esse puto, ut Platonis Convivium ante a. 371, quo Mantinensium urbs restituta est, compositum, Xenophontis Convivium

---

1) C. F. Hermannum, qui Xenophonteum Convivium Platonico posterius esse censuit (progr. Marburg 1834. 1844), optime refutavit Hugius (Philol. VII 638), cum demonstraret, Platonem Xenophontis Convivium multis locis respexisse. Qui quamquam nonnullis argumentis usus est, quibus nihil aliud probatur, ac Xenophontem Platonis ingenio inferiorem fuisse, tamen multa attulit, quibus illa sententia satis probetur; lege potissimum quae de Patrocle Achillis amico non amasio (Xen. Conv. 8, 31. Plato, Conv. p. 180 a.) et de Socratis Xenophontei oratione a Platone inter quinque oratores distributa disseruit. Quare una, quae restat, difficultas quomodo removenda sit, breviter exponam. Quae est in iis, quae leguntur IV 32: *καίτοι Παυσανίας γε ὁ Ἀγάθωνος τοῦ ποιητοῦ ἐραστὴς ἀπολογούμενος ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ ἐγκαλινδουμένων εἴρηκεν, ὡς καὶ στράτευμα ἀλκιμώτατον ἂν γένοιτο ἐκ παιδικῶν καὶ ἐραστῶν.* Ex quibus colligendum esse videtur, Xenophontem iam Platonis Convivium legisse, in quo talia disputata sunt p. 178 e. 179 a, praesertim cum idem Pausanias Agathonis amator Platonis Convivio intersit. Itaque illis verbis Platonis librum Xenophon iam respexisset. Quod probabile non esse Hugius uberrime sagacissimeque exposuit, quare Schenkelius hanc difficultatem ita tollendam esse censuit, ut illa verba alteri Convivii editioni a Xenophonte addita esse putaret. Mihi ad Platonem omnino non referenda esse videntur, cum apud eum non Pausanias talia disputet, sed Phaedrus; Thierschio igitur (Specim. de Plat. Conv. p. 7), qui Xenophontem illo loco *λόγον ἐρωτικόν* a Pausania compositum dicere existimat, assentiri non dubito. Pausaniam sermone quondam talia enuntiasse Boeckhius et Hugius minus probabiliter censuerunt, cum vocem litteris non traditam Xenophon quasi nemini esset ignota post tot annos commemorare non posset.

2) Haec est Zelleri sententia (Philos. d. Gr. II 1³ 465), quam Dittenbergerus l. l. sequitur.

ante Platonicum, sed post Oeconomicum et Memorabilia confecta scriptum esse existimemus. Itaque siquis inter a. 380 et 376 fere Convivium compositum censet, equidem non contra dico.

§ 20. De Hierone.

Cum in libris Socraticis nulla fere temporis documenta inveniantur, sed ad argumenta sive extrinsecus repetita sive ex genere dicendi ducta recurrendum fuerit, libenter ad scripta politica transeo, Hieronem dico, Cyropaediam, libellos de Lacedaemoniorum republica et de vectigalibus. Quae quo tempore composita sint, rationibus satis certis constituere possumus. Atque primum de Hierone agamus, quem illorum librorum aetate primum existimo. Cuius de fide cum Rankius (Vita Xen. p. 25) et Caspersius (de Xen. quae fertur Apologia p. 8) obiter dubitassent, Sitzlerus eum a Xenophonte abiudicandum sibi sumpsit (De X's qui fertur Hierone 1876); qui quod voluit, mihi non probavit. Neque enim argumentum ex temporum ratione afferri potest, quo a Xenophonte librum scribi non potuisse demonstretur et dictio prorsus Xenophontea est. Quod vero consilium Xenophontis fuerit, cum de tyranni condicione disputare aggrederetur, non prorsus apparet. Nam quae apud Athenaeum leguntur, qui eum apud Dionysium tyrannum potantem facit, ea probabilia non duco; neque enim, uter Dionysius, maior minorve, intellegendus sit, ille aperuit, neque unde illam narrationem hauserit, neque ab ullo alio scriptore Xenophontis in Siciliam iter commemoratur. Exhibet vero Athenaeus X 427e haec: *Οὐκ ἐμέθυον δὲ οἱ πάλαι... Ξενοφῶν γοῦν ὁ Γρύλλου παρὰ Διονυσίῳ ποτὲ τῷ Σικελιώτῃ πίνειν ἀναγκάζοντος τοῦ οἰνοχόου προσαγορεύσας ὀνομαστὶ τὸν τύραννον· Τί δή, ἔφη, ὦ Διονύσιε, οὐχὶ καὶ ὁ ὀψοποιὸς ἀγαθὸς ὢν καὶ ποικίλος ἀναγκάζει ἡμᾶς εὐωχουμένους ἐσθίειν καὶ μὴ βουλομένους, ἀλλὰ κοσμίως ἡμῖν παρατίθησι τὴν τράπεζαν σιγῶν;* — Mihi haec narratiuncula ex Convivio quodam repetita videtur, quare ei fidem nullam tribuo[1]). Alii

1) Veram autem esse sibi persuaserunt et Bentleius (Briefe d. Phalaris p. 557 Ribb.), et Letronnius, qui Xenophontem ad Dionysium

Scillunte Xenophontem Iasonis Pherarum tyranni rebus gestis casibusque commotum hunc libellum composuisse censuerunt, velut Delbrueckius (Xen. p. 93) et Holdenius (ed. Hier. London 1883; cfr. Hager l. l.), quorum ille quidem ipse suae sententiae non magnam tribuit auctoritatem, huius libro utendi facultas mihi non fuit; ex ipso vero libro quid ad sententiam suam confirmandam afferre possint, non video. Nitschius deinde Hieronem Corinthi circa a. 367/66, scriptum existimat cum Dionysius patre mortuo rerum potitus esset, laudans c. VIII § 1[1]), ubi Simonides Hieronem ut populi favorem sibi conciliaret, operam dedisse dicit (Z. f. Gymnasialw. 1874, 951; Bursian's Jahresb. XXV p. 25), cum Dionysium initio regni auram popularem captasse notum sit. Sed Xenophontem illis verbis Dionysium minorem respexisse probari non potest, cum ille non unus esset, qui hoc animum induxit; neque quare Xenophon tunc commotus sit, ut de tyranni condicione dissereret, apparet. Itaque illa omnia ad libri aetatem constituendam mihi non satis valere videntur. Sed valde arridet Grotii sententia, qui Xenophontem Olympicos ludos a. 384 celebratos respexisse arbitratus est. Dionysius maior enim ut bellis confectis in ipsa Graecia quoque se celebratum faceret, a. 384 Olympiam quadrigas, legationem summa magnificentia instructam, actores, qui ipsius fabulas agerent, misit. Populus vero a Lysia Panegyrica oratione in tyrannum, qui tres urbes Graecas, Cauloniam, Regium, Hipponium subverterat, incitatus legationem aggressus et quominus ipsum tentorium diriperet, magistratuum modo intercessione prohibitus est. Xenophontem igitur, qui illo tempore Scillunte prope Olympia habitaret, cum et pompam Dionysii vidisset, et populi devotiones detestationesque audivisset, hac re com-

---

maiorem profectum ante a. 401 Hieronem composuisse censet (Biogr. univ. LI 372) et Anglicus doctus Shindler, qui nuper Hieronem edidit (London 1884), qui Xenophontem eodem tempore, quo Letronnius, apud Dionysium commoratum, Hieronem vero inter a. 399 et 394 scriptum existimat (cfr. Hager, Berl. phil. Wochenschr. 1884 p. 745).

1) . . . *ἐπείπερ ἐπιθυμῶν φιλεῖσθαι ὑπ' ἀνθρώπων ἐμποδών σοι τοῦτον νομίζεις τὴν τυραννίδα εἶναι.*

motum Grotius animum induxisse putat, ut tyranni condicionem miserrimam describeret (Grote, Platon etc. III 576. cfr. H. of G. XI 37 sqq.). Hac igitur re Xenophon commotus esse videtur, ut tyranni vitam infelicissimam pingeret, qui cum speciem summae felicitatis praeberet, infelicissimus esset, quia omnium odio flagraret. Adde quod plus semel ludorum Xenophon mentionem facit, quos tyrannus visere non posset, cum privati omnes ad eos convenirent (H. I 11), et eum ne decere quidem dicit cum privatis concertare; quod Dionysius conatus quidem erat, sed nullam victoriam quadrigis suis reportaverat (Diod. XIV, 109; X. Hiero X 16: νικώμενος ἀντπάντων μάλιστα καταγελῷο). Itaque non ita multum post a. 384 Hieronem compositum esse censeo. Atque particularum quoque usus hac cum sententia optime congruit. Quamquam enim genus dicendi commentationibus simillimum est — nam primo modo et septimo capite dialogus paullo agitatior est, ceterum modo Hiero modo Simonides per plura capita soli loquuntur[1]) — tamen μήν ac praecipue γὲ μήν perraro legitur (cfr. p. 39 sq.).

§ 21. De Lacedaemoniorum Republica.

Lacedaemoniorum deinde Rempublicam cum Plutarchi (Lycurg c. I) Longinique (IV 4) iudicio pugnans Demetrius Magnes a Xenophonte alienam esse voluit (D. L. II 57); sed ut haec sibi persuaderet, ea una causa commotus esse videtur, quod illa unus cum Republica Atheniensium liber legeretur (cfr. § 8), quae sine dubio a Xenophonte abiudicanda est. Tamen nostra aetate qui eadem sibi persuaderent non defuerunt, velut Boeckhius (Staatsh. I^1 48) Wachsmuthiusque (Hell. Alterthumsk. I^2 798), quorum hic a Critia, cui Atheniensium Rempublicam tribuit, nostrum quoque librum compositum esse censet, ille de scriptore dubitat. Alii vero et ii plurimi eam singularem quidem librum habent, tamen num Xenophontis opus sit dubitant vel non esse affirmant, ex quibus Mansonem (Sparta I 275),

1) Lege exempli gratia c. II, quo inde a tertia paragrapho usque ad VI 16 solus Hiero loquitur, neque minus decimum, quo Simonides ab altera paragrapho usque ad finem libri disputat.

Delbrueckium (Xen. p. 147), Heynium (Comment. Gotting. IX 12. 58), Rankium (Vita Xen. p. 26), Dindorfium (ed. opusc. Oxon. p. XI) nominem. Addendi sunt Lehmannus, qui eam a sophista Isocratis discipulo eo consilio scriptam esse censet, ut Isocratis Panathenaico responderet[1]), et Beckhausius, qui eam Xenophontis nepoti tribuit[2]). Neque Cobetus (Nov. Lect. p. 705 sqq.) Cyprianusque (*περὶ τῶν τοῦ Ξενοφῶντος Ἑλληνικῶν* p. 91) praetermittendi sunt, qui ex maiore opere hunc librum excerptum habent, quos quidem refutavit Naumannus (de X's libro, qui *Λακεδ. πολιτ.* inscribitur p. 12 sq.). — Tamen a tanta scriptorum multitudine nullum argumentum allatum video, quo librum a Xenophonte scribi non potuisse probetur; sequuntur illi Demetrii vestigia, qui sive ipse erravit sive errantem secutus est, monent singula, quae sophistam magis quam Xenophontem decere putant, negant a Xenophonte scriptore elegantissimo eidem libro tam contraria inseri potuisse, qualia laus Lycurgi institutorum et morum depravatorum reprehensio sunt. Quibus rebus non omnes Xenophontis libros eleganter scriptos esse mihi magis probatur, quam hunc librum ei tribui non posse. Multa contra ut Xenophontem scriptorem intellegamus, suadent; primum enim scriptores veteres et ii gravissimi testes Plutarchus Longinusque librum ut Xenophonteum laudant[3]), deinde nemo Atheniensis (Atticum enim genus dicendi est) Lacedaemoniorum mores institutaque melius cognita habuit, quam Xenophon, qui per multos annos Agesilai regis familiarissimus rerumque gestarum socius fuit, qui ipse Spartae commoratus est filiosque eo educandos misit; tum genus dicendi prorsus Xenophonteum est (cfr. Naumann p. 31), denique Xenophontem et pietas et Lacedaemoniorum admiratio olet (XIII 2 sq. XIV 5). — Quare equidem Lacedaemoniorum Rempublicam genuinum Xeno-

---

1) Lehmann, die unter X's. Namen überlief. Schrift v. Staat d. Laced. etc. p. 8.

2) De Xenophonteo qui fertur Agesilao p. 61. 74; cfr. Zeitschr. f. Gymn. 1872 p. 235 seq.).

1) Qui Rempublicam Lacedaemoniorum ut Xenophontis opus laudant, eos collegit Sauppius ed. V p. 156.

phontis librum existimo cum Haasio (ed. p. 2), Weiskio (p. 2), Bergkio (Encyc. Hal. I 81, 393), Grotio (H. o. G. IX 325), Cobeto, qui δευτέραις φροντίσι iudicium Nov. Lect. p. 611. 705 sq. probatum retractavit praef. p. XXIV, nec non Naumanno, qui nuper de libello docte diserteque disseruit (Berl. 1876). Neque Weiskii (ed. exc. 10) Schneideri aliorum sententiis assentior, qui ceteris salvis c. XIV Xenophonti eripiendum esse censent (cfr. Haase ed. p. 20). Nam quod per tredecim priora capita Spartanorum instituta ita descripsit, ut nemini non florere atque permanere videantur, c. XIV vero praeterita dicit obsoletaque, leges Lycurgi neglectas, cives corruptos et degeneratos, id ingenii quidem capitalis non esse concedo, sed quo iure Xenophonti tale ingenium tribuatur, non video. Adde quod huius capitis auctoritas ea re augetur, quod simillimum epilogum Cyropaediae Xenophon eodem consilio addidit, ut ab eorum reprehensione se defenderet, qui mores Persarum Lacedaemoniorumque non ex vero descriptos ei vitio daturi essent. Itaque cum temporis documenta, quae in eo capite insunt, optime in Xenophontis aetatem quadrent, non dubito, quin totus libellus a Xenophonte compositus sit atque ad eam quaestionem transeo, quae est de tempore, quo Respublica Lacedaemoniorum composita sit. Atque de hac quidem re tanta inter homines doctos dissensio fuit, ut non modo Boeckhius Wachsmuthiusque, qui Atheniensium Lacedaemoniorumque Respublicas unum opus esse voluerunt, hunc librum ante a. 424 scriptum censerent, sed etiam ex iis, qui Xenophonti eum tribuerunt, Onckenius (Staatslehre d. Aristot. I 237) eum antequam ad Cyrum ille proficisceretur scriptum esse sibi persuaderet. Quem, cum Xenophontis vitam et genus dicendi melius perspectum habeamus, refutari iam non oportet. Nam praeterquam quod Xenophon illo tempore Lacedaemoniorum mores nondum cognovit, atque iuvenis admodum fuit, particularum usus hunc librum posterioribus scriptis adnumerandum esse docet. Sed in ipso quoque libro certa temporis testimonia deprehenduntur, quibus illorum sententia redarguatur. Apparet enim, Spartam eo tempore, quo Xenophon librum scripsit, potentia auctoritateque

floruisse[1]) et multa aliorum Graecorum oppida iam diu harmostis missis in officio retinuisse[2]), cum iam in ipsam rempublicam harmostis adulatione civitatum corruptis plus mali quam boni inde redundare appareret. Harmostae vero a Lysandro primum missi post pugnam Leuctricam expulsi sunt (Paus. IX 6, 4; VIII 52, 4), itaque librum non statim Peloponnesiaco bello confecto, tamen ante a. 371 compositum esse perspicuum est. Eo autem tempore, quo liber componeretur, Lacedaemonii principatum non tenebant, sed recuperare studebant; aliorum vero Graecorum multi se incitabant, ut novum illorum imperium impediretur (§ 6 *νῦν πολλοὶ παρακαλοῦσιν ἀλλήλους ἐπὶ τὸ διακωλύειν ἄρξαι πάλιν αὐτούς*). Imperium autem illi Atheniensibus devictis primum nullo adversante exercuerunt; deinde cladibus apud Haliartum Cnidumque acceptis auctoritas imminuta est, quae cum Iphicrates *μόραν* delevisset, bellumque per octo annos duceretur, in dies magis evanescebat. Quare illi pacem a rege missam acceperunt, qua omnes civitates ex potestate dimittere iussi sunt (Hell. V 1, 31), quod quidem eos verbo potius quam re fecisse notum est. Itaque inter annum 387 et a. 371 Rempublicam Lacedamoniorum scriptam esse iam apparet. Summa vero cum probalititatis specie Nitschius (p. 54) Naumannusque (p. 26) illa Xenophontis verba *πολλοὶ παρακαλοῦσιν ἀλλήλους ἐπὶ τὸ διακωλύειν ἄρξαι πάλιν αὐτοὺς* ad alteram confoederationem navalem a. 378 ab Atheniensibus cum Chiis, Mytilenaeis, Byzantiis initam rettulerunt, cuius consilium titulo reperto hoc fuisse ostenditur: *ὅπως ἂν Λακεδαιμόνιοι ἐῶσι τοὺς Ἕλληνας ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους ἡσυχίαν ἄγειν, τὴν αὐτῶν ἔχοντας ἐν βεβαίῳ* (Rangabé, Antiqu. Hellén. II 40 s. 3735), ita ut a. 378 fere vel paulo posteriore tempore libellus scriptus esse videatur. Id enim illi minime mihi probaverunt, quod quartum decimum cap.

---

1) I 1. *ἐγὼ ἐννοήσας ποτὲ ὡς ἡ Σπάρτη τῶν ὀλιγανθρωποτάτων πόλεων οὖσα δυνατωτάτη τε καὶ ὀνομαστοτάτη ἐν τῇ Ἑλλάδι ἐφάνη.*

2) XIV 4: *νῦν ἐπίσταμαι τοὺς δοκοῦντας πρώτους εἶναι ἐσπουδακότας ὡς μηδέποτε παύωνται ἁρμόζοντες ἐπὶ ξένης.* XIV 2: *οἶδα γὰρ πρότερον μὲν Λακεδαιμονίους αἱρουμένους οἴκοι τὰ μέτρια ἔχοντας ἀλλήλοις συνεῖναι, μᾶλλον ἢ ἁρμόζοντας ἐν ταῖς πόλεσι καὶ κολακευομένους διαφθείρεσθαι.*

a. 378 additum, librum ipsum antea (Nischium si sequimur inter a. 383—381, si Naumannum, cum primum Xenophon Scillunte consedisset a. 387—385) scriptum esse dixerunt. Quam sententiam ut confirmaret, Naumannus unum modo argumentum attulit, qui dicit p. 29: „neque scriptorem tanto studio et assensu Spartanorum vitam persecutum ad vituperationem tam acerbam facile ant celeriter adactum esse putaveris et ipse mores corruptos, imperandi studium, libidinem intolerabilem accusat; quae non paucis mensibus, sed annorum complurium spatio nascuntur. Quare nisi forte res acciderunt ingentes, mirabiles, ad sententiam certissimam in contrarium vertendam idoneae, temporis aliquod intervallum inter utramque libri partem intercedit“[1]). Qua de causa ille tam facinus ingens commissum esse quam temporis spatium intercessisse statuens librum ante Mantinensium urbem a. 385 in vicos distractam scriptum, caput quartum decimum a. 378 additum existimat. At Xenophontem omnino sententiam mutasse neque Naumannus probavit, neque probari potest, sed quae diu ille obsoleta sciret, ea velut sua aetate vigerent, narravit; fac enim eum cum Mantinea dirueretur intellexisse Lacedaemonios iam magis ut imperarent studere, quam ut imperio digni essent, num tum quoque subito peregrinos iam non expulsos vidit (Lac. Resp. XIV 3) an divitias olim interdictas tunc ab omnibus appetitas (ibid. par. 4)? Fieri non potuit, ut quam a. 385 de his rebus sententiam habuit, eam a. 378 in contrarium vertisset; talia enim non decem vel quindecim annorum spatio irrepunt; itaque Xenophon cum inde ab a. 394 Spartae versaretur, haec vidit, non postea comperit. Nitschii vero opinio, qui inter a. 381 et 378 Xenophontem de his rebus sententiam mutasse existimat, etiam minus probabilis est. Quare totum libellum circa a. 378, certe inter a 387 et 371 compositum esse censeo. Similia vero

---

1) Similia disputavit Wulffius (Quaestt. in Xen. de rep. Lac. lib. institutae. Monaster. 1884), qui ipsum librum a. 396/5 in Asia apud Agesilaum compositum censet (p. 50 sqq.), c. XIV posteriore tempore scriptum, cum Xenophon experientia edoctus mores Spartanorum depravatos cognovisset (p. 54 sqq.).

sibi persuaserunt Grotius (H. o. G. IX 325 n. 2), qui inter pugnas Cnidiam Leuctricamque[1]), Cobetus (N. L. 721), qui inter a. 388 et 377/76, Fuchsius (Quaest. de libris Xen. de rep. Laced. et de rep. Athen. p. 47), qui paulo ante pugnam Naxiam (a. 376) ortum existimant. De Dittenbergeri sententention, qui Lacedaemoniorum Rempublicam quartae Xenophontis aetati tribuens post Cyropaediam compositam censet, supra iam dixi p. 45.

§ 22. De Cyropaedia.

Singularis quaestio de Cyropaedia est. Nam tam amplum opus brevi tempore componi non potuisse apparet; quare Xenophontem huic libro componendo per plures annos operam navasse, et eum fortasse non uno tenore, sed spatio quodam interiecto scripsisse probabile est. Atque particularum usus multa cum extremae aetatis scriptis communia habet; velut comparationes frequentissimae sunt (ὥσπερ ducenties novies legitur), δή iterum iterumque repetitur (cfr. p. 39 sqq.), et haec illa occurrunt, quae praeter Cyropaediam in una Hellenicorum tertia parte inveniuntur. Nam in nullo alio Xenophontis libro quattuor particulae coniunctae leguntur velut καὶ μὲν δὴ καί, quod est in Cyr. VIII 4, 8 et μὲν οὖν δὴ καί Hell. V 3, 5, neque in ullo alio libro invenies καὶ δὴ καί, quod est in Cyr. I 6, 21; IV 2, 1; Hell. V 4, 4; VI 4, 13, cum καὶ γὰρ δή, μὲν γὰρ δή, καὶ γὰρ οὖν in omnibus fere Xenophontis scriptis praeter Cynegeticum et Hell. p. I legantur (cfr. p. 39 a). Quare post alteram Hellenicorum partem Cyropaediam scriptam esse iam verisimile est. Eo vero argumento, quo Dittenbergerus (cfr. p. 37) Cyropaediam Anabasi et altera Hellenicorum parte posteriorem esse demonstrare voluit, eo equidem uti non audeo: quod ex ea re effici posse existimat, quod nunquam in illis μήν cum interrogativis pronominibus aut adverbiis coniunctum legatur, in Cyropaedia autem non ita raro. At in Hellenicorum altera parte interrogationes ra-

1) Cum Grotio consentit Erlerus, Quaestt. de Laced. rep. p. 20. A. 394 libellum compositum dicit Steinius, Bemerk. zu Xenophons Lac. resp. p. 11.

rissimae insunt; *ἆρα* enim omnino non legitur, *ἦ* semel (IV 5, 44) *τίς οὖν, πῶς οὖν* semel singula (IV 1, 11; III 5, 14) neque crebrius *τίς δή* (III, 3, 5). Prorsus alia vero de causa iisdem, quibus nos attribuimus, temporibus Cyropaediam scriptam esse censuit Henkelius (Isokrates und Xenophon p. 4), qui cum ea verba, quae Cyr. III 1, 38 leguntur, non sine aliqua probabilitatis specie ad Socratis mortem referenda esse censeat, haec postquam Xenophon ab Atheniensibus revocatus esset scripta dicit, cum ille tam mitibus verbis atque sine ulla ira magistri ab illis condemnati mentionem faciat. Quo tamen argumento nihil aliud probari puto, quam quod haec longo post a. 399 spatio interiecto scripta esse oportet. Nulla autem dubitatio relinqueretur, quin extrema Xenophontis aetate Cyropaedia confecta sit, si extremum caput, quod Cyropaediae epilogum vocare consuevimus, ab ipso Xenophonte scriptum esse constaret. Ubi haec leguntur (Cyr. VIII 8, 4): *νῦν δὲ καὶ ἤν τις ὥσπερ Μιθριδάτης τὸν πατέρα Ἀριοβαρζάνην προδούς, καὶ ἤν τις ὥσπερ Ῥεομίθρης τὴν γυναῖκα καὶ τὰ τέκνα καὶ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ὁμήρους παρὰ τῷ Αἰγυπτίῳ ἐγκαταλιπὼν καὶ τοὺς μεγίστους ὅρκους παραβὰς βασιλεῖ δόξῃ τι σύμφορον ποιῆσαι, οὗτοί εἰσιν οἱ ταῖς μεγίσταις τιμαῖς γεραιρόμενοι.* Ariobarzanem Phrygiae minoris satrapam a rege defecisse testes sunt Diodorus XV 90 et Harpocration s. v.[1]); quod a. 367/65 factum esse omnes homines docti comprobant (cfr. Krumbholz, de Asiae minoris satrapis Persicis p. 69. 72; Grote X 469). A filio deinde Mithridate proditum in regis potestatem incidisse Aristoteles quoque testatur[2]); crucifixum eum esse iure dicit Harpocration l. l.; quod fere a. 364 accidisse videtur (Rehdantz, Vitae Iph. Chabr. Timoth. p. 155). Duos vero Ariobarzanes, quorum utrique filius

---

1) Harpocrat. s. v.: *Ἀριοβαρζάνης σατράπης Φρυγίας ἀποδειχθεὶς οὗτος παρὰ Ἀρταξέρξου* (pro *Ξέρξου* correxit Meyer de bonis dammatorum p. 55) *ἀπέστη, ὃς καὶ ἀποστείλας λαὸν τοὺς πολεμήσαντας αὐτῷ καὶ χειρωσάμενος ἐσταύρωσεν.* Diod. XV 90: *Τῶν ἀφεστηκότων σατραπῶν ἦσαν ἐπιφανέστατοι Ἀριοβαρζάνης μὲν ὁ τῆς Φρυγίας σατράπης.*

2) Arist. Pol. 1312 a (V 8, 14): *καταφρονῶν καὶ διὰ κέρδος ἐπετίθει Ἀριοβαρζάνῃ Μιθριδάτης.* cfr. Cornel. Nep. Dat. X 1.

Mithridates erat, confudisse videtur Diodorus, qui l. l. eundem Phrygiae satrapam regno Lycaoniae Cappadociaeque (cfr. Anab. VII 8, 25) Mithridate mortuo potitum esse dicit, quod per 26 annos (363—337) retinuisset[1]). Rheomithris vero a satrapis ad Tachum regem missi defectionem Diodorus quidem XV 92 non minus quam Ariobarzanis aliorumque satraparum in annum 362/61 refert, sed eum, quae compluribus annis acciderunt, ea velut a. 362/61 accidissent, narrasse apparet; quae in singulos annos distribuere non possumus (Rehdantz, V. Iph. Chabr. Timoth. p. 154—161; Grote X 498, 1). Apparet autem Cyropaediae caput extremum non ante a. 364 scribi potuisse atque aliquantum posteriore tempore scriptum esse probabilius videtur (Grote, Platon III 579 sq.; cfr. Rehdantz p. 155). Quare de aetate libri nulla dissensio esset, si de auctoritate illius capitis inter omnes constaret. Sed Valckenaerium secuti (adn. ad Xen. Mem. I 1) recentiorum plurimi illud subditivum esse dixerunt[2]). Quare breviter de hac re disserendum est. Atque quod argumentum primum illi attulerunt, qui propterea a Xenophonte epilogum abiudicandum esse censent, quod in illo verba quaedam, velut καινοποιητής (§ 11), θρυπτικώτερος (§ 15), δακτυλήθρα (§ 17), leguntur, quae sive omnino alibi non inveniantur, sive ab optimorum scriptorum usu recedant, hoc mittere possumus, cum talibus verbis permultis Xenophon utatur[3]). Deinde quod epilogi aucto-

---

1) Diod. XV 92. Schaefer, Demosth I 89, Krumbholz l. l. p. 73 n. Aliter iudicat E. Meyer, Königreich Pontus p. 35. Diodorus si verum tradidisset, rebellanti capto a rege temperatum esse oporteret, quod non magnam veritatis speciem gerit.

2) Schulz (de Cyr. epilogo 1806), Dindorf (ed. Oecon. praef. p. XIII), ac praecipue Schenkelius (Fleckeisen Annal. 1883, 590) et Buechsenschuetzius (Philol. XXII 681), quibus addendi Fischer (Comment. in Cyr. p. 610), Ranke (Xen. vita p. 23), Boeckh (Simultas etc. p. 26), Sauppe ed; Hertein ed; Schneider ed. 2. Defenderunt Bornemannus (Epilog. d. Cyr. Leipz. 1819), Cobetus (Mnemos. III 66 sq.), quibus assentiuntur Schneiderus (ed 1), Poppo ed; Breitenbach ed; Krueger, (Vita p. 28); Grote (H. o. G. X 497 seq. Platon l. l.), Eichler (De Cyrop. capite extremo).

3) Sauppe (ed. stereot. II 298 cfr. Lexilog. Xenoph.) 327 ἅπαξ λεγόμενα, 400 a consuetudine optimorum scriptorum recedentia, 480 Ionica, Dorica, poetica vocabula in Xenophontis libris legit.

rem Xenophontem imitatum multa ex eo sumpsisse et ex ipsa Cyropaedia repetivisse dicunt, hoc argumentum non gravius existimo, quam illud; nam quae epilogi quintae paragrapho similitudo cum libri de vectigalibus prooemio intercedit[1]), eadem Hipparch. VII 6 est cum Hell. VI 5, 52, Hipp. IX 3 cum Vectig. II 5, neque minus Memor. III 4, 1 seq. cum Cyrop. I 6, 12[2]). Repetita vero ex ipsa Cyropaedia una est de finibus imperii paragraphus VIII 8, 1 (cfr. VIII 6, 21), ubi aliis verbis uti difficile erat; ceterum illa verba *ὡρίσθη γὰρ πρὸς ἕω μέν — Αἰθιοπίᾳ* sine ullo sententiae incommodo eici possunt. Neque quidquam illi inde proficiunt, quod epilogo Xenophon haec illa non ex vero narrat, sed verbis auget atque in maius extollit. Epilogum enim eo consilio composuisse videtur, ut eorum crimina evitaret, qui sibi Persas supra verum laudibus elatos vitio verterent; itaque cum Persarum virtutes prius fuisse, nunc omnia in peius ruere demonstraret, facile accidere potuit, ut quemadmodum illic virtutes, ita hic omnia vitia in maius efferret, vel semper fieri diceret, quae semel acciderunt (cfr. §§ 7, 19, 21, 22, 24, 25). Illo vero se ipsum defendendi, Persas degeneratos accusandi studio accidit, ut vel in deterius mutata illis vitio daret, quae instituta esse ipse non commemoravit, sed olim floruisse scivit, plantarum usum dico, quem a pueris iam non ad medicinam exercendam, sed ad venena paranda disci narrat § 14. Eodem vero vituperandi studio incitatus Persis quod ab antiqua fide et pietate recessissent, vitio dat et Graecorum, qui cum Cyro profecti erant, duces fide illorum antiquitus cognita fretos in Tissaphernis castra venisse dicit (§ 3); ex Anabasi enim satis apparet, hoc propter unius Clearchi stolidam temeritatem et odium adversus Menonem factum esse, cum alii repugnarent (An. II 5, 27—30). Quod suo iure Grotius „a curious perversion of history to serve

1) Cyrop. VIII 8, 5 *ὁποῖοί τινες γὰρ ἂν οἱ προστάται ὦσι, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνονται.* Vect. I 1: *ὁποῖοί τινες ἂν οἱ προστάται ὦσι, τοιαύτας καὶ τὰς πολιτείας γίγνεσθαι νομίζω.*

2) Praeter locos supra laudatos conferas Anab. I 7, 15 et III 4, 35 cum Cyrop. III 3, 26; Anab. I 9, 3 cum Cyrop. I 2, 3 seq.

the purpose of his romance" dicit (Grote IX 98, 2). Difficilius est explicatu, cur hic de singulis rebus velut de iustitiae puerorum institutione alia tradiderit atque antea; dicit enim epil. § 13 pueros virorum causis agendis affuisse, ut iustitiam discerent, cum I 2, 6 et I 3, 16 a pueris ipsis apud magistros causas actas esse narrasset. Quod mihi documentum esse videtur quo demonstretur, Xenophontem non modo quae a Persis comperta habuisset — omnino enim num moribus Persarum accuratius cognoscendis operam dederit dubito — sed nonnulla quoque, quae ipse sibi finxit, rettulisse neque sibi prorsus stetisse. Haec fere sunt, quae Schulzius Schenkeliusque ad epilogum a Xenophonte abiudicandum[1]) attulerunt; Dindorfius enim nihil nisi minora quaedam generis dicendi, quae putat, vitia monuit. Restat igitur, ut quae Buechsenschuetzius l. l. disputavit, refellamus. Qui cum Cyropaedia regis modo exemplar praebeat doceatque, quomodo regnum firmari, non quomodo populus bene beateque regi posset, Xenophonti, si epilogum addere voluisset, demonstrandum fuisse dicit, reges Persarum degenerasse, unde populi deterior status ortus esset; maxima autem epilogi parte (inde a § 6) Persarum mores depravatos esse probari nulla regum habita ratione. At Xenophon, qui a regibus disputandi initium fecit, cum transeat ad populum, dicit § 5: *ταῦτ' οὖν ὁρῶντες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ πάντες ἐπὶ τὸ ἀσεβὲς καὶ τὸ ἄδικον τετραμμένοι εἰσίν· ὁποῖοί τινες γὰρ ἄν οἱ προστάται ὦσι, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτοὺς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνονται;* quibus verbis ad alteram disputationis partem transire videtur, qua, ut antea reges, ita nunc populum regum exemplo deductum corruptum esse demon-

---

1) § 8 cum I 2, 16 pugnare concedere non possum, nam *τὸ ἀποπτύειν καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι καὶ τὸ φύσης μεσθοὺς φαίνεσθαι* etc. suae quoque aetatis Persis *αἰσχρὸν εἶναι* Xenophon testatur, quam vero huius rei causam dicit I 2, 16, eam ipse excogitasse videtur; nos eadem turpia existimamus, qui corporibus exercendis non magnam operam damus. — § 20 explicatur Oecon. IV 6: satrapis certus militum equitumque numerus imperatus erat, qui ipsis alendi erant, cum rex stipendia modo persolveret; quare ipsorum servos domesticos milites faciebant, ut numerum augerent.

strat. Itaque cum quaecunque apud Persas in peius mutata dicit, ea omnia Xenophon regibus vitio vertat, qui exemplo suo populum, ut a bonis maiorum institutis recederet, deduxissent, epilogus cum consilio Cyropaediae non pugnat. Neque est, cur eum, qui per totum librum non modo regem Cyrum, sed omnes Persas omnium virtutum velut exemplaria descripsit, extremo libro demonstrandum sibi putasse negemus, talia a Persis, quales ipsius aetate essent, multum abhorrere.

Itaque eorum, qui a Xenophonte abiudicandum putant epilogum, rationibus [1]) mihi id, quod voluerunt, persuasum non est, praesertim cum non modo ab homine, qui suae aetatis Persarum mores interius cognitos habuit, hoc caput scriptum esse videatur, sed etiam in eo insint quaedam, quae ut a Xenophonte scriptum esse iudicemus, suadere videntur, velut pietas, qua a diis et religione disputandi initium fit, et *σεμνολογία* (§ 10. 11), quae Athenaeum ad errorem illum ridiculum seduxit, ut *προχοίδας* (§ 10) *κύλικας* esse putaret (Athen. XI 496). Imprimis autem epilogus, si suppositicius esset, brevi iam tempore post Xenophontis mortem additus esse deberet. Nemo enim viginti quinque fere annis post Xenophontis mortem opprobria in reges Persarum congerere potuit, cum nulli iam reges essent; neque siquis hoc animum induxisset, quominus eo testimonio uteretur abstinuisset, quod omnium illius aetatis Graecorum ante oculos erat, Alexandri Magni rebus gestis Persarumque cladibus. Quamobrem Beckhausius (de Xenophonteo qui fertur Agesilao p. 65) epilogum nepoti Xenophontis, editori scriptorum avi a se ficto tribuit, de quo infra erit agendum. Neminem vero Schenkelius assentientem habebit, qui eum quem Xenophon scripsit, epilogum deperditum esse aliumque suppositicium a nobis legi contendit (l. l. et Xen. Stud. II 145),

1) Illorum argumentis addi potest, quod prooemio Cyropaediae plurali maiestatico Xenophon utitur, (cfr. potissimum § 6), epilogo singulari forma (§ 17). At prooemium Xenophon non cum opus confectum haberet, scripsisse videtur, sed cum aggrederetur. — Pluralem maiestaticum praeter Cyrop. I apud Xenophontem non nisi in libro de re equestri legisse memini (*π. Ἱππ.* I 1 sqq).

cum tam brevi tempore non ille perire alterque addi potuerit. Atque fulcitur epilogus ea re, quod Xenophon simillimum libello de Lacedaemoniorum republica caput XIV addidit, quo contraria disputat ac per totum librum, et omnia, quaecunque illic descripsit, obsoleta dicit atque praeterita. Itaque equidem non dubito, quin noster epilogus a Xenophonte scriptus et Cyropaedia post a. 364 confecta sit.

§ 23. De libello de vectigalibus.

Sequitur, ut de lbri qui *Πόροι* inscribitur, tempore et auctoritate disseramus. Quem Weiskius olim a. 424 scriptum esse censuit, sed haec sententia una sectione 25 cap. IV satis refutatur, qua bellum Decelense velut longum ante tempus gestum sit commemoratur. Boeckhius vero primus libellum tempori post bellum sociale confectum attribuit (Staatshshlt. I² 777 c.). Socios enim ab Atheniensibus defecisse quondam scriptor dicit V 6 — id quod bello Peloponnesiaco factum est, — deinde recuperatos esse ipsis principatum obferentibus V 6 — id, quod a. 378 fecerunt, cum altera confoederatio civatum maritimarum iniretur, — denique iterum amissos esse V 5 — id, quod bello sociali a. 357—355 gesto accidit. Cum vero libellus Atheniensibus pacem agentibus compositus sit (IV 40. V 12. IV 4. 43), sed brevi tempore postquam bellum esset confectum, quia auctor *τὸν νῦν πόλεμον* loquitur IV 40, Boeckhius eum ipso a. 355 paullo post bellum sociale transactum scriptum esse censuit. Quam sententiam nostra aetate plurimi viri docti sequuntur.[1]) Contra H. Hagenius (Eos II 149) librum bello sacro confecto extremo mense Scirophorione a. 346 compositum et a Xenophonte alienum esse censuit. Quem quamquam Beckhausius secutus est, qui hunc quoque librum Xenophonti suo minori tribuit, tamen illam sententiam iis quae Gleinigerus Zurborgiusque disputaverunt, satis refutatam esse putarem, nisi nuper Holzapfelius exstitisset, qui

---

1) Krueger Stud. II 283. Schneider ed VI 155. Bergk. Encycl. I 81, 390. Cobet Nov. Lect. 759 sqq. Schaefer Demosth. I 170. Gleiniger, De Xenophontis libello qui *Πόροι* inscrib. Zurborg, Xen. lib. q. *Πόροι* inscr. Curtius, III⁵ 806.

nullis aliis argumentis, quam quae Hagenius attulerat, nisus librum post pacem Philocrateam quidem initam, sed antequam bellum sacrum conficeretur a. 346 compositum dicit Phil. XLI 224). Quare Hagenii argumenta percensere atque singula refutare a re proposita non alienum duco. Ille enim eandem pacem IV 40 et V 12 commemorari negans, IV 40 eam, qua bellum sociale a. 355 confectum est, V 12 eam, quae a Philocrate nomen tulit, a. 346 initam intellectam vult et postquam haec pacta esset extremo mense Scirophorione librum scriptum dicit. Quod ut sibi persuaderet, his fere rationibus adductus est. Primum enim V 12 pacem significatam esse apparet, qua mare pacatum est; IV 40 vero Hagenius bellum terrestre vel bellum quod terra marique gestum sit, confectum dici putat, cum quos apparatus scriptor ad futura bella feliciter gerenda commendat IV 42—48, ii bellum terrestre, non navale respiciant. Qua in re prorsus ille neglexisse videtur, quod § 42 auctor dicit: *πολλὰς μὲν γὰρ ναῦς πληροῦν [πολλοὶ ἄνθρωποι] ἱκανοὶ ἂν εἶεν δημοσίᾳ·* quibus verbis bellum maritimum respici nemo negabit. Neque ex ea re quod proximum bellum terra marive gestum iri scriptor suspicatur, de eo quod confectum est bello iudicium ferri potest. Deinde V 12 omnes reipublicae opes bello exhaustas, IV 40 ex temporibus antequam pax constitueretur aliquid superesse a scriptore dici Hagenius contendit; sed perperam quae IV 40 leguntur interpretatus est: non pecuniam enim superesse ille dicit, sed ex prioribus reditibus i. e. „Einnahmequellen“ proximo quoque anno rempublicam administrandam esse; quae pecuniae necessariae essent, ut ea, quae ad reditus reipublicae augendos suscepta vult, perficerentur, eas non a civibus bello attritis exigenda esse, sed ex vectigalibus commerciorum, quae pace facta augerentur.[1]) — Neque rectius Hagenius disputavit, cum V 12 reditus reipublicae iam auctos designari, IV 40 scriptorem sperare contendat, fore ut reditus augeantur. Illic enim vectigalia portoria

1) *Εἰ δ' αὖ διὰ τὰς ἐν τῷ νῦν πολέμῳ γεγενημένας εἰσφορὰς νομίζετ' ἂν μηδ' ὁτιοῦν δύνασθαι εἰσενεγκεῖν, ὑμεῖς ὅσα μὲν πρὸ τῆς εἰρήνης χρήματα εὕρισκε τὰ τέλη, ἀπὸ τοσούτων καὶ τὸ ἐπιὸν ἔτος διοικεῖτε τὴν πόλιν· ὅσα δ' ἂν ἐφευρίσκῃ διὰ τὸ εἰρήνην εἶναι* etc.

(*πρόσοδοι*) intellegenda sunt, quae pace constituta statim augeri incipiunt, hic tributa civium (*εἰσφοραί*), quos scriptor belli oneribus ad paupertatem redactos dicit. Tum Hagenius pacem V 12 commemoratam iam aliquantum temporis durasse existimat, eam quae IV 40 dicitur, modo initam esse, cum libellus componeretur. Sed quominus hanc pacem mensem fere durasse putemus nihil obstat. Denique ille Athenienses bello sociali omnibus sociis privatos esse contendit, a libelli scriptore *πόλεις ὑπηκόους* commemorari I 1; sed non nisi cum Chiis Rhodiis, Byzantinis, Cois illam pacem Athenienses fecerunt (Grote XI 325) et ab Isocrate Areopagitica oratione a. 355/4 habita multos socios commemoratos esse (§ 1. 16. 134 cfr. Demosth. de corona 234) recte Gleinigerus p. 19 monuit. Itaque Hagenii rationes ad sententiam eius probandam non satis valent et eadem pax et IV 40 et V 12 intellegenda est. Atque optime Gleinigerus p. 7 dixit. „Quis tandem si a. 346 verba audisset haec c. V 12: *καὶ ἐν τῷ νῦν χρόνῳ διὰ μὲν τὸν πόλεμον καὶ τῶν προσόδων πολλὰς καταδαπανηθείσας*, de bello sociali novem ante annos confecto cogitasset? Si bello cum Philippo gesto redítus multi deficiebant, nemo nisi insanus propter pacem cum sociis factam reditus augeri dicere poterat.“

Restat igitur, ut de loco V 9 breviter disputemus, quo scriptor Phocenses oraculum Delphicum reliquisse et alios quosdam templi *προστασίαν* sibi vindicare conatos esse dicit[1]). Quod postquam illi a. 355 Philomelo duce occupaverunt, non prius quam a. 346 reliquerunt; itaque si huius rei in opusculo mentio fit, certe non ante a. 346 compositum et a Xenophonte alienum est. Quod cum propter rationes supra expositas probabile non sit, viri docti alii alio modo huic loco subvenerunt. Cobetus enim (Nov. Lect. 759 sqq.) oraculum a Phocensibus bis occupatum esse

1) *Εἰ δὲ καὶ ὅπως τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν αὐτόνομον ὥσπερ πρόσθεν γένοιτο, φανεροὶ εἴητε ἐπιμελούμενοι, μὴ συμπολεμοῦντες, ἀλλὰ πρεσβεύοντες ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα, ἐγὼ μὲν οὐδὲν ἂν οἶμαι θαυμαστὸν εἶναι, εἰ καὶ πάντας τοὺς Ἕλληνας ὁμογνώμονάς τε καὶ συνόρκους λάβοιτε ἐπ᾽ ἐκείνους, οἵτινες ἐκλιπόντων Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο.*

demonstrare studuit, primum a. 357, quo cum illi diu retinere non potuissent, Thebani sibi *προστασίαν* vindicassent, alterum a. 355, quae occupatio usque ad a. 346 duravisset. Atque pro hac sua sententia Demophilum, Ephori filium, laudat, qui Diodoro XVI 14 teste templum a. 357 occupatum bellumque sacrum per undecim annos gestum esse tradidit, nec non Callisthenem, qui inde a pacc Antalcidea orsus res gestas triginta annorum scripsit et illius belli mentionem fecit (Diod. XIV 14 et 117). In eundem vero a. 357 (Ol. 105, 4) Pausanias X 2, 3 belli initium refert, Marmor Parium vel in priorem (Mueller F. H. G. I 535 v. 87 sq.) — Contra Diodorus XVI 23 oraculum a. 355 occupatum esse bellumque per novem annos durasse dicit. Quare Cobetus Phocenses et a. 357 et a. 355 Delphos occupare conatos et a scriptoribus modo hanc, modo illam occupationem belli initium habitam esse putat. Quae sententia ea quidem ratione refutari non potest, ut quia a nullo scriptore duae occupationes commemorantur, propterea oraculum bis expugnatum esse negemus, cum inde ab Hellenicorum fine fontes historiae pessimi sint; recte tamen Madvigius (Advers. crit. I 364) Nitschiusque (Z. f. d. Gymnasialw. 1874 p. 957) Xenophonti neque *ἐπειρῶντο* neque *οἵτινες* dicendum fuisse monuerunt, si Thebanos *προστασίαν* sibi vindicasse significare vellet, sed et *οἵ* et *πεπείρανται*. Quare ipsi elegantissima emendatione *πειρῷντο* scribunt et neque oraculum a Phocensibus relictum neque Thebanos occupare conatos esse putant, sed Xenophontem dixisse: si quando illi Delphis cessissent, tum Thebanos *προστασίαν* sibi vindicaturos esse. Quibus assentiri equidem non dubito et libellum de vectigalibus bello sociali confecto a. 355, cum Phocenses templum iam occupassent bellumque sacrum ortum esset (cfr. *συμπολεμοῦντες* V 12) compositum iudico. Tunc erat *ἡ ἐν τῇ Ἑλλάδι ταραχή* (V 8), cum ipsi Athenienses pace fruerentur (cf. Demosth. *π. συμμ.* 36 p. 188); tunc opus fuit consiliis ad reditus civitatis augendos spectantibus, cum inopia ac necessitudine coacti Athenienses bellum sociale composuissent.

§ 24. De Hipparchico.

Pauca iam de scriptis equestribus dicenda sunt, Hipparchicum dico et eum librum, qui περὶ ἱππικῆς inscribitur. Atque Hipparchicum quidem postquam Xenophon in gratiam cum patria rediisset, compositum esse ex ea re satis apparet, quod Atheniensium equitum magistro ex ipsius experientia ad equites optime ad bellum exercendos atque parandos consilia dat. Itaque statuere possumus, eum post a. 369 compositum esse[1]) (cf. p. 29), id quod aliis quoque rebus confirmatur. Primum enim posterioribus Xenophontis scriptis propter particularum usum attribuendus videtur (cfr. p. 35 sqq.), deinde senex multa perpessus multisque in periculis versatus elucet c. IX 8: εἰ δέ τις τοῦτο θαυμάζει, ὅτι πολλάκις γέγραπται τὸ σὺν θεῷ πράττειν, εὖ ἴστω, ὅτι ἢν πολλάκις κινδυνεύῃ, ἧττον τοῦτο θαυμάσεται; tum verum vidit Nitschius docens (l. l. p. 51 sq) post pugnam Leuctricam scripta esse, quae IX 4 leguntur. Cum enim scriptor Atheniensibus suadeat, ut metoecis inter equites stipendia merendi facultatem darent, Lacedaemoniorum quoque equitatum illis assumptis meliorem redditum esse dicit. Quem cum in Leuctrica pugna miserrimum fuisse ipse Xenophon testetur Hell. VI 4, 10 cum dicat: ἦν δὲ τοῖς Λακεδαιμονίοις κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον πονηρότατον τὸ ἱππικόν, post illam pugnam ξένους inter equites receptos esse verisimile est[2]). Quae quidem res iis non multum profuit, cum pugna Mantinensi iterum equites vincerentur (Hell. VII 5, 25). Manifestiora autem temporis vestigia deprehenduntur in primo quartoque capite, quae cum pacem agerent Athenienses

---

1) Libellum Corinthi, non Athenis scriptum esse ex ea re Nitchius colligit, quod Xenophon, cum Athenienses loquatur, altera persona pluralis utitur (ὥσπερ εἰώθατε III 12; cfr. Krueger, Studien II 284); quod argumentum leve atque satis reiectaneum mihi videtur, quamquam de re ipsa cum Nitschio consentio. Nam Athenis quoque ὡς εἰώθατε dicere potuit, cum ipse propter aetatem iam non inter equites esset.

2) Metoecos inter equites recipiendi eam potissimum causam fuisse existimo, quod ex mille quingentis cum plurimum civibus illa pugna quadringenti perierant.

scripta esse apparet. Cum enim ad certum quendam magistrum equitum, qui Athenis annui novi fierent, libellus datus sit, talia consilia, qualia ei Xenophon dat I 19. 20. IV 6 [1]), inutilia fuissent et supervacanea, si quo tempore scriberentur, Athenienses in bello gerendo versarentur. Quare neque a. 369, quo tempore Athenienses cum Lacedaemoniis foedere contra Thebanos icto Iphicratem cum duodecim milibus militum ad Isthmum miserunt (Hell. VI 5, 49; Diod. XV 63), neque a. 362 scriptum neque ad Cephisodorum datum esse existimo, quo duce Xenophontis filii stipendia merentes (Diog. II 6, 54; Paus. 8, 9, 10) equestri proelio paucis diebus ante pugnam Mantinensem commisso affuerunt. Quarum sententiarum utraque a viris doctis prolata est, altera a Nitschio l. l., altera a Kruegero (Stud. II 282 sq.), quem Schaeferus (Demosth. I 171) et Wilamowitzius (Kydathen p. 24 n 45) secuti sunt. Quamquam autem per pacem libellus scriptus est, tamen bellum Atheniensibus gerendum fore Xenophon suspicatur et id contra Boeotios; cum enim disputet, quid magistro equitum faciendum sit, si in ipsam Atticam hostes irrumperent (c. VII), Boeotios velut solos Atheniensium hostes respicit, cum dicat (VII 3): *καὶ μὴν ἐπί γε τοῖς προγόνοις οὐ μεῖον Ἀθηναῖοι ἢ Βοιωτοὶ φρονοῦσιν.* Quare a. 365 fere librum compositum esse existimo, quo tempore Athenis maior quis metus esse potuit, ne in Atticam Boeotii irrumperent, qui a. 366 Oropum occupaverant; Athenienses vero a sociis illo tempore destituti (Hell. VII 4, 1 sq.) per aliquot annos a bello gerendo se abstinuisse neque ante annum 362 contra Thebanos dimicasse videntur. Post pugnam Mantinensem vero illa verba scripta non puto, cum et Epaminonda mortuo minor Thebanorum metus esset et

---

1) Hipp. I 19: *Ταῦτα γὰρ ἐνθυμουμένους εἰκὸς καὶ τοὺς ἱππέας μᾶλλον ἀσκεῖν τὴν ἱππικήν, ὅπως, ἢν πόλεμος ἐγείρηται, μὴ ἀμελετήτους ὄντας ἀγωνίζεσθαι δέῃ περί τε τῆς πόλεως καὶ περὶ εὐκλείας καὶ περὶ τῆς ψυχῆς· ἀγαθὸν δὲ καὶ τοῦτο προειπεῖν τῶς ἱππεῦσιν, ὅτι ἐξάξεις καὶ σύ ποτε αὐτοὺς καὶ διὰ παντοίων χωρίων ἡγήσει.* IV 6: *προσήκει δὲ ἱππάρχῳ ἔτι ἐν εἰρήνῃ ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ἐμπείρως ἕξει τῆς τε πολεμίας καὶ τῆς φιλίας χώρας.*

illo tempore pax inter civitates Graecas iniretur et a. 361 ea quae Thebanis faveret factio superior facta Callistratum expelleret (Grote, H. of G. X 482 n; Curtius, Gr. Gesch. III[5] 460. 791.).

§ 25. De libello περὶ ἱππικῆς.

Libellum de re equestri post Hipparchicum compositum esse mihi, quamquam Nitschius negat, constat, cum illum laudet Xenophon π. Ἱππ. XII 14: ἃ δὲ ἱππάρχῳ προσήκει εἰδέναι τε καὶ πράττειν, ἐν ἑτέρῳ λόγῳ δεδήλωται. Ille vero (Abf. d. Hellen. p. 52 seq.) libri maximam partem Scillunte scriptam et XI 10—12 totumque caput XII postea additum esse putat. Quam in sententiam nulla alia causa commotus abiisse videtur, ac cupiditate encyclopaediae suae defendendae. Xenophontem enim Scillunte — Catonis scilicet ducem et exemplum — „Praecepta ad filios" composuisse putat, encyclion earum rerum disciplinam, quae iuvenem nobilem decerent; cuius operis Cynegeticum, libelli de re equestri priorem illam partem, Oeconomicum, vel Lacedaemoniorum Rempublicam partes fuisse censet. Quod neque per se verisimile et iis satis refutatum est, quae de Cynegetici aetate supra disputavimus. Unum vero argumentum est, quo librum de re equestri non continuo scriptum esse, sed alteram partem Scillunte, alteram a. 369, quo tempore Hipparchicum Xenophon componeret, confirmare studet, sed ex eo quidquam effici posse nego. Cum enim Xenophon initio noni capitis atque undecimo exeunte res usque eo disputatas comprehendat breviterque repetat, Nitschius hac re probare vult, pristinum librum octo modo priora capita comprehendisse, cum appendice noni, decimi, undecimi praeter par. 10—12; has vero paragraphos cum duodecimo capite additas esse, quo tempore Hipparchicus componeretur. Quae mihi minime persuasit, cum tria illa capita appendicem esse negans ea partem libri necessariam dicam. Nam cum usque eo de equis disputatum sit, quales esse soleant, nono capite quomodo equo utendum sit disseritur, qui sive alacrior sive ignavior esset, quam deberet; decimo undecimoque, quomodo ad ostentationem atque pompam equus

conspicuus reddatur, duodecimo, qualis et equi et equitis optima armatura sit. Quae non supervacanea esse neque velut appendicem addita mihi constat. Sed fac, tria illa capita appendicem esse, alteram appendicem caput duodecimum, iam demonstrandum fuit, Xenophontem, cum librum nulla elegantia componeret, hoc non uno tempore facere potuisse. — Unum autem in libro indicium est, quo qui eum non continuo scriptum, sed retractatum esse atque correctum sibi persuadent, uti possunt; quod Nitschius quidem non attulit. Prooemium enim libri hoc est: *Ἡμεῖς γέ μέντοι ὅσοις συνετύχομεν ταὐτὰ γνόντες* [*Σίμωνι*], *οὐκ ἐξαλείφομεν ἐκ τῶν ἡμετέρων, ἀλλὰ πολὺ ἥδιον παραδώσομεν αὐτὰ τοῖς φίλοις.* Ex quibus concludi posset, Xenophontem cum alteram faceret editionem, delere noluisse ea, quae prius scripsisset, quam Simonis librum legeret; sed haec ita intellegenda esse mihi persuasum est, ut, quae in commentariis scripsisset, ea delere se noluisse dicat, cum in publicum librum ederet. Itaque libellum de re equestri post Hipparchicum extrema Xenophontis aetate compositum esse existimo, artius vero tempus circumscribere non possum[1]).

Libri qui falso Xenophonti tribuuntur.

§ 26. De Atheniensium Republica.

In Diogenis Laertii Xenophontis scriptorum catalogo tres libri leguntur, qui falso ei tributi esse videntur, Atheniensium Rempublicam dico, Socratis Apologiam, Agesilaum. Atque de Atheniensium quidem Republica brevissime dicam, cum a Xenophonte eam ortam non esse inter omnes fere constet et cum, si uberius disserere inciperem, tanta copia eorum, quae a viris doctis de ea disputata sunt, exitum orationis nullum invenirem. De fide libelli ab antiquis viris doctis iam dubitatum esse Demetrius Magnes

1) Nihil inde colligi potest, quod post Simonis librum *περὶ ἱππικῆς* ipsius libellum Xenophon composuit. Nam cum ille iam a. 424 magister equitum esset (cfr. Ar. Eq. 242), Helbig, Arch. Zeitung 1861, p. 180 ff.) probabile est, eum multis annis ante Xenophontem scripsisse. — Fragmenta Simonis collecta sunt a Blassio, Miscellanea soc. philol. Bonn. ed. 1864 p. 49.

(ap. Diog. L. II 57) probat, cum qua alia causa Lacedaemoniorum Rempublicam a Xenophonte abiudicaverit, nisi quod duas Respublicas unum librum legit, non appareat. Nostra vero aetate primus J. G. Schneiderus (ed. prol.) hunc librum Xenophontis esse negavit, cui nunc omnes fere assentiuntur. Luce enim clarius est, eum, qui Graecos ex media Babylonia reduxit, ea scribere non potuisse, quae II 5 leguntur[1]), neque minus scriptoris breviloquentia a Xenophontis iucunditate abhorret. Omnis vero dubitatio temporis documentis, quae in libello deprehenduntur, removetur, quare Cobeti et qui nuper de hac re disputavit, Beloti nugas disputare mitto[2]). Nam belli Peloponnesiaci tempore librum scriptum esse apparet et id cum Atheniensium imperio maritimo a nulla civitate oppugnaretur (II 11) et antequam sociorum tributa dissolverentur (III 5). Itaque post annum 413 ortus esse non potest. Neque antequam bellum Peloponnesiacum conflaretur scribi potuit, cum Atticam ab hostibus devastatam atque nisi egregie fallor, plus semel devastatam scriptor commemoret (II 16) et senatui de bello, id est de certo aliquo bello, quod iam per aliquod tempus continuo gestum erat, consulendum esse dicat III 2 (τὴν βουλὴν βουλεύεσθαι [δεῖ] πολλὰ μὲν περὶ τοῦ πολέμου, πολλὰ δὲ περὶ πόρου χρημάτων . . .). Quare ea, quae nuper h. d. Schvarcz (Demokratie I 638 sqq.) disputavit, qui Atheniensium Rempublicam inter a. 437 et 430 compositam existimavit, probari non possunt. Neque ea, quae II 5 leguntur, post a. 424 scripta esse Mueller-Struebingius (Philol. suppl. IV 35 sqq.) mihi persuasit, cum longa exercitus terrestris itinera fieri posse praefracte neget scriptor; quod

1) Cfr. quoque Ath. resp. I 10 cum Vect. II 1, et quantum quae Ath. resp. III 8 leguntur a Xenophontis pietate recedant respice.

2) Cobet N. L. 706. 739 sq. aliorum sententias refellere dedignatus librum corruptum putat ex Xenophontis cum Spartano quodam colloquio; de temporis indiciis tacet. — Bélot (La république d'Athènes. Lettre sur le gouvernement des Athéniens adressée en 378 a. Ch. n. par Xénophon au roi de Sparte Agésilas. 1880. Paris.) Xenophontem Agesilao, ut ab incursione, de qua ille cogitasset, patriam servaret, res Atheniensium nulla omnino veritatis ratione habita narrasse sibi persuadet (il ment, quand le mensonge est utile à sa patrie et à sa cause).

post Brasidae expeditionem nemo iam negare potuit. Quare ad Roscheri (Vita Thucyd. 526—39; 248—52) redeo sententiam, qui hunc librum ante a. 424 ortum censuit (cfr. Kirchhoff, Ber. d. Berl. Acad. 1878 p. 1). Primis igitur belli Peloponnesiaci annis Atheniensium Respublica tribuenda est; artius vero tempus circumscribere non audeo, quamquam facillima emendatione Gutschmidius (Jahrbb. t. 95 p. 47; Mus. Rh. XXXI 634) pro *ἔνιοι γνόντες* II 19 corrigens *ἔνιοι ἔγγυοι ὄντες ὡς ἀληθῶς τοῦ δήμου τὴν φύσιν οὐ δημοτικοί εἰσιν* Periclem his verbis denotari librumque antequam ille moreretur compositum esse putat. Cuius sententia ea re confirmatur, quod cap. II par. 16, cum quotannis fere Lacedaemonii in Atticam irrumperent, scripta esse videtur. Adde, quod ea, quae II 18 leguntur: *κωμῳδεῖν τὸν δῆμον οὐκ ἐῶσι*, non sine aliqua probabilitate Faltinus (Quaest. de lib. de Ath. rep. 1872 p. 53) antequam Aristophanes a. 426 Babylonios in scenam dedit, scripta putat. —

Qui auctorem libelli de Atheniensium republica, omnium qui pedestri Attico sermone compositi nobis traditi sunt antiquissimi, eruere conati sunt, ii operam perdidisse videntur, neque unquam factum iri verisimile est, ut eruatur. Tribuerunt autem Critiae, Callaeschri filio, Platenius (de auctore libri Xenophontei qui est de rep. Atheniensium 1843 p. 33), Wachsmuthius (Hellen. Alterthumsk. II 1, 441; 798), Boeckhius (Staatsh. I 423 seq. 700), Thucydidi Roscherus (V. Thucyd. 252), Phrynicho Mueller-Struebingius l. l. p. 112, Alcibiadi Helbigius (Mus. Rh. XVI 511), Thucydidi Melesiae f. Maur. Schmidt (Memoire eines Oligarchen i. Ath. p. VII).

§ 28. De Socratis Apologia.

Socratis Apologiam deinde non minus a Xenophonte alienam esse quam Atheniensium Rempublicam nostra aetate inter omnes constat praeter Cobetum, qui eam suavissimum Xenophontis scriptum dicit (Nov. Lect.[2] 379). Nam totam fere ex Memorabilibus descriptam atque excerptam esse[1])

1) Langius quod demonstrare studuit, qui extremum Memorabilium caput ex Apologia repetitum dicit l. l. p. 29 sq. mihi minime probavit.

optime demonstravit Hugius (Unaechth. d. Apol. apud Koechly, Acad. Vorles. I 430—39). Quae una ratio cum ad librum a Xenophonte abiudicandum satis valeret, ea re confirmatur, quod stolidum exaggerandi atque amplificandi studium compluribus locis comprehenditur (§ 4 cfr. Mem. IV 8, 5). Adde, quod angusto atque ieiuno consilio Apologia composita est, cuius scriptor non Socratem ab omni parte quam eloquentissime defendere studet, sed in una μεγαληγορίᾳ versatur, quam ab aliis, qui illi defendendo operam dedissent, non satis praedicatam putat. Quare cum iis, qui subditiciam Apologiam habent atque a Xenophonte alienissimam, consentio [1]). Quo vero tempore composita sit, de ea re nihil satis constat; Grotius enim l. l. eam tempore Xenophonteo ortam dicit, Sehenkelius secunda a. Ch. n. saeculo conflatam (l. l. p. 147), Langius sive tertio sive secundo sive primo a. Chr. n. saeculo compositam esse iudicat (l. l. p. 28). Id unum constat, Apologiam scriptam esse post Anyti filii mortem et antequam catalogus Xenophontis librorum componeretur. Xenophonteum librum eam legit Dio Chrysostomus; cfr. or. XXVIII 535 R. cum Ap. § 6 [2]).

§ 29. De Xenophonteo qui fertur Agesilao.

Restat, ut de Agesilao agamus, quem multi quidem Xenophontis esse negaverunt, nonnulli retinuerunt. Postquam enim Valckenaerius (Diatribe de fragm. Eurip. p. 266; ad Herod. III 134. IX 27; ad Xen. Mem. III 3, 9) de eius fide dubitavit, plurimi viri docti eam sententiam amplexi sunt, ut a Xenophonte libellum alienum dicerent [3]; contra

1) Valckenaer. ad Mem. I 1. III 9; Caspers, Comm. de Socr. Apol. 1836; Hug. l. l.; R. Lange, de Xenophontis quae fertur Apologia. Halis 1873; Pohle, Die angebl. Xenophontische Apologie in ihr. Verhältniss. z. Mem. IV 8. 1874; Schenkl., Xen. Stud. II p. 135. 1875; Grote, H. of G. VIII 641.

2) Geel, De Xenophontis Apologia Socratis ac postremo capite Memorabilium p. 23.

3) Et oppugnatores et defensores libelli collegit G. Sauppius ed. V p. 126; quibus Eversius (Xenophon quomodo Agesilai mores descripserit 1883 p. 2) eos addidit, qui recentissimi accesserunt.

plerique editores eum retinuerunt, nec non Grotius eo velut Xenophonteo utitur. Itaque cur dissensio inter viros doctos sit, videamus.

Traditus est liber inter Xenophontis scripta et ab antiquis velut Xenophonteus laudatur. Tamen suspicio primum ea re movetur, quod prima duo capita (I 6—II 31) ad verbum fere ex Hell. III 4, 6—V 4, 49 deprompta esse apparet; id quod Beckhausius (De Xenophonteo qui fertur Agesilao p. 3 sqq.) non satis diligenter, accuratius idem programmate Rogasenio 1872 et Hagenius (De Xenophontis qui fertur Agesilao) demonstraverunt[1]. Cum igitur iam dubium sit, num Xenophon ex ipsius libro tam multa in alium librum transtulerit, iis quae I 6 leguntur, illum haec capita non composuisse plane probatur; quod quidem argumentum non meum est, sed ab Alfredo de Gutsshmid scholis exhibitum; Agesilaum enim *νέον* regnum suscepisse libelli scriptor tradit (Ages. I 6: *ἔτι νέος ὢν ἔτυχε τῆς βασιλείας*), cum Plutarchi testimonio constet, eum quadraginta tres annos natum Agidi successisse[2]. Plutarchum vero recte iudicasse et per se verisimile est, cum ex optimis fontibus summa diligentia hauserit[3]) et ab ipso Xenophonte probatur, qui Agesilaum hieme a. 379/78 *ὑπὲρ τὰ τετταράκοντα ἀφ' ἥβης*, id est supra sexaginta annos natum fuisse tradit Hell. V 4, 13. Agesilaus igitur cum a. 400/399 regnum suscepisse videatur (Grote IX 316 n. 335; Curtius III 152), illo tempore plus quam quadraginta annos natus fuit; quam si egit aetatem, *νέος* a Xenophonte appellari non

1) Pauca vero scriptor iam hic ex alio quodam fonte, quo postea inde a. II 25 usus est, aut ex ipsius iudicio inseruisse videtur, velut foederis trium mensium (I 10) et exulum Thebanorum revocatorum commemorationem (I 21), quae in Hellenicis non inveniuntur (cfr. Hell. III 4, 6; V 1. 34).

1) Plut. Ages. c. 40: *ἀποθνήσκει βιώσας μὲν ὀγδοήκοντα καὶ τέσσαρα ἔτη, βασιλεύσας δὲ τῆς Σπάρτης ἐνὶ τῶν τεσσαράκοντα πλέον* (*πλέω* Vulcob.).

1) Plut. Agesil. XIX 5.

potuit[1]). Itaque cum Xenophon, familiarissimus regis amicus, de aetate eius errare non potuerit, haec ab eo aliena sunt. Adde quod libelli faber, quae in Hellenicis legisset, ea perperam interpretatus est II 24: cum enim Xenophon Hell. VI 4, 15 referret, apud Leuctra quadringentos Spartanos interfectos esse, cum septingenti pugnae interfuissent, ille omnes Spartanos illi proelio affuisse sibi finxit atque omnium, qui tunc fuerunt, Spartanorum dimidiam partem occisos esse.[2]) Idem vero, quae ante pugnam Mantinensem Xenophon scripsit, qui pugnam Coronensem fuisse dicit *οἵανπερ οὐκ ἄλλην τῶν ἐφ' ἡμῶν*, ea post Mantinensem repetere non dubitavit (Hell. IV 3, 9. Ages. II 9). Quibus cum multae minoris momenti res addi possent[3]), Xenophontem talia referre non potuisse iam apparet. Tamen iis, quae adhuc attuli, nondum probatum est, librum a Xenophonte alienum esse, cum Nitschius (Z. f. d. Gymnasialw. XXVIII 955, Bursian. Jahrb. XXV 37) ea quae inde a I 6 usque ad III 1 leguntur, interpolata esse censeat, Xenophontemque scripsisse: *Ὅσα γε μὴν ἐν τῇ βασιλείᾳ ἐπράξατο — οὐ τεκμηρίων προσδεῖται, ἀλλ' ἀναμνῆσαι μόνον ἀρκεῖ καὶ εὐθὺς πιστεύεται*. Sed ei primum obiciendum est, fieri non potuisse, ut in elogio, etiamsi paullo post mortem regis compositum esset, res gestae omnino non commemorarentur; deinde in reliqua quoque Agesilai parte multa inesse, quae a Xenophonte abhorrere videantur. Et mitto quidem dicendi genus

---

1) Hominem plus quam quadraginta annos natum a Xenophonte *νέον* dici Sturzius contendit quidem (Lexic. Xen. s. v. *νέος* II), sed nullum praeter nostrum locum attulit; nihil vero ex ea re effici potest, quod Xenophontem supra quadraginta annos natum *νεανίσκον* appellatum dicit Anab. II 1, 10, cum neque Xenophon eo tempore aetate adeo provectus esset et in omnibus melioribus codicibus (ABCE) non illius nomen, sed *Θεοπόμπου* legatur. — Lege de verbo *νέος* quae Rohdius disputavit Rh. Mus. XXXVI 538 et Xenophontis Memor. I 2, 32.

2) *Καὶ αὐτῶν Σπαρτιατῶν οὐ μειόνων ἀπολωλότων ἐν τῇ ἐν Λεύκτροις μάχῃ ἢ λειπομένων.* (Gilbert, Gr. Staats. I 40, eo tempore 1500 Spartanos fuisse existimat; qui si verum vidit, quantum ille erraverit, apparet.

3) Cfr. quae de Herippida dicit II 11 cum Hell. III 4, 20; IV 3, 15; quae de Agesilao II 22 cum Hell. VI 4, 5.

magis rhetoricum quam in ceteris Xenophontis scriptis (Blass, Att. Bereds. II p. 447), cum alius sermo deceat librum historicum, alius disputationem, alius declamationem. Neque magis, quae a vero abhorrentia leguntur Ages. VII 1. 6; X 4[1]) premenda sunt, cum talia declamationis scriptori dari possint, qui in maius extollit, quae laudanda, minuit, quae vituperanda esse videntur (quare Mantinensis pugnae omnino memoriam non fecit!). Sed inepta sunt atque absurda, quae Agesilai scriptor narrat V 1: *διμοιρίαν γε μὴν λαμβάνων ἐν ταῖς ϑοίναις οὐχ ὅπως ἀμφοτέραις ἐχρῆτο, ἀλλὰ διαπέμπων οὐδετέραν αὑτῷ κατέλειπεν*; quae si vera essent — non enim *πολλάκις* aut tale aliquid addidit ille — Agesilaus fame confectus esset (cfr. Haupt. Philol. 1848, 546[2]). Idem vero amplificandi et augendi studium deprehenditur VII 5, ubi decem fere milia hostium in pugna apud Corinthum commissa occisos esse tradit (*ἐγγὺς μύριοι τῶν ἀντιπάλων*), cum Diodorus XIV 83 duo milia octingentos interfectos esse tradat. Qua in re luculentissime apparere existimo, Agesilai scriptorem a Xenophonte diversum esse; cum enim ille in Hellenicis *παμπληϑεῖς τῶν πολεμίων* (Hell. IV 3, 1) occisos esse legisset, suo arbitrio *μυρίους* substituit. Tot vero hostes si interfecti, neque pauciores, id quod fieri solet, vulnerati essent, ex magno illorum exercitu non plus quam sex milia militum incolumes evasissent[3]). Itaque non dubito, quin non modo primum alterumque caput (I 6—III 1), sed totus liber a Xenophonte alienus sit. Compositus vero libellus certe post a. 357 (ante quem annum Hellenica confecta esse non possunt) et ante Alexandri

1) VII 1: *οὐ σῶμα, οὐ γῆρας προὐφασίζετο, ὅπου ᾤετο τὴν πατρίδα ὠφελήσειν*, cum Hell. V 4, 13 Xenophon eum a. 379 senectutem excusasse referat. — Ages. VII 6: *οὐκ ἤϑελε προσβάλλειν τῇ [τῶν Κορινϑίων] πόλει* cum ex Hell. IV 5, 3 eum hoc facere nequisse appareat. — Ages. X 4: *ἀφικόμενος δὲ ἐπὶ τὸ μήκιστον ἀνϑρωπίνου αἰῶνος ἀναμάρτητος ἐτελεύτησεν.*

2) Imitatus est scriptor Lac. Reip. XV 4, ubi Xenophon narrat: *διμοιρίᾳ γε ἐπὶ τῷ δείπνῳ ἐτίμησε [τοὺς βασιλέας ὁ Λυκοῦργος] οὐχ ἵνα διπλάσια καταφάγοιεν, ἀλλ' ἵνα καὶ ἀπὸ τοῦδε τιμῆσαι ἔχοιεν, εἴ τινα βούλοιντο.*

3) Cfr. Hell. IV 2, 17. Apud Diodorum XIV 82 fortasse *πλείους δισμυρίων* legendum est; cfr. Breitenbach ad Hell. IV 2, 17.

Magni aetatem est, cum regis Persarum etiam regnantis mentio fiat (VII 7). Atque probabile videtur, ut Isocrates Euagoram suum Nicoclis filii gratia scripsit, ita nostrum librum ad Agesilai filium Archidamum missum esse; quem cum Diodorus XVI 88, 3 pugnae Chaeronensis die mortuum esse tradat, Agesilaus inter a. 357 et a. 338 scriptus esse videtur.

Antequam de Agesilao disputandi finem facere possumus, pauca de iis dicenda sunt, quae de Xenophonte minore Agesilai scriptore Beckhausius sibi finxit (De Xenophonteo qui fertur Agesilao p. 56 sqq.). Quamquam enim non multum interest, a Xenophontis nepote an ab alio quodam libellus compositus sit, dummodo a Xenophonte Agesilai amico alienus sit, tamen cum ille alios quoque libros nepoti tribuat, breviter quid de ea re censeamus percurrendum est. Atque fuisse Xenophontem minorem, Anabaseos scriptoris propinquum, Dinarchi oratione satis probatur. Quem Grotius nepotem Xenophontis Cyreorum ducis fuisse Gryllique fortasse filium coniecit[1]. Beckhausius vero eundem a Photio commemoratum esse putavit, qui tradit cod. 260 (p. 486, 36 B.): *Γεγόνασι δ' Ἰσοκράτους ἀκροαταὶ καὶ Ξενοφῶν ὁ Γρύλλου καὶ Θεόπομπος ὁ Χῖος καὶ Ἔφορος ὁ Κυμαῖος. οἷς καὶ ταῖς ἱστορικαῖς συγγραφαῖς προὐτρέψατο χρήσασθαι πρὸς τὴν ἑκάστου φύσιν ἀναλόγως καὶ τὰς ὑποθέσεις, τῆς ἱστορίας αὐτοῖς διανειμάμενος.* Sed hoc ex loco nihil colligi potest, cum a Photio miro scilicet errore[2] Anabaseos scriptorem Isocratis discipulum dictum esse appareat. Cum enim ille tam paucos ex plurimis Isocratis discipulis commemoraret, eos haud dubie attulit, qui postea inclaruerunt; deinde historicum eum dicit, non rhetorem; quis vero alium Xenophontem Grylli filium, rerum gestarum scriptorem illustrem intellegere potest atque Anabaseos auctorem, cum ille ne verbum quidem addiderit, quo alium a se dici demonstra-

1) Grote, H. of Gr. IX 246, 2: I venture to set him down as grandson. — He might well be the son of Gryllos.

2) Ad ea quae hac de re p. 15 disserui addendum est, Vitam X oratorum IV 9 Xenophontis inter Isocratis discipulos mentionem non facere.

ret? Adde, quod Photius eo ordine illorum nomina proposuisse videtur, ut eum priorem commemoraret, qui aetate maior esset; itaque ex hac quoque re Xenophontem maiorem intellegendum esse apparet[1]) (cfr. Hagen l. l. p. 64) et de patre Xenophontis, Aeschyli adversarii, nihil constat (cfr. p. 3 et 26). Quare quae argumenta ex genere dicendi Isocrateo magis quam Xenophonteo Beckhausius duxit, quibus Agesilaum nepoti tribuendum esse demonstraret, ea futilia ac reiectanea sunt, praesertim cum ne recte quidem iudicaverit, qui Agesilai genus dicendi Isocrateum decere dicat (cfr. Blass, Att. Beredsamk. II 451). Neque particulae γὲ μήν usum frequentissimum nepoti tribuendum esse probari potest; nam plures sunt Xenophontis libri, quorum is usus proprius est, quam ut eos omnes ab eo alienos putemus; Beckhausius vero hac una causa commotus Hipparchicum et Rem equestrem nec non libellum de vectigalibus nepoti dat (p. 71. 63). Omnino autem nullum argumentum attulit, quo ab homine a Xenophonte plane alieno laudationem profectam non esse probetur. Itaque nulla causa est, cur nepotem illum — si nepos fuit — libros composuisse aut libris avi edendis operam dedisse existimemus[2]). Beckhausius vero non modo Agesilaum, Cyropaediae epilogum, Apologiam, Cynegetici prooemium et extrema duo capita, sed etiam libellum de vectigalibus a nepote compositum, Hellenicorum libr. III—VII, Convivium, Hipparchicum, Rem equestrem, Lacedaemoniorum Rempublicam ab eo rectractata esse dicit (p. 65 seqq.; cfr. Z. f. Gymnasialw. 1872, 225). Linckius deinde Beckhausium secutus Oeconomicum a nepote[3]), libellum de venatione et Anabasim ipsam ab homine, qui ipsius Xenophontis consuetudine usus et nepos fortasse

1) Progr. Rogasen. a. 1872 p. 29 Beckhausius Photium errasse concedit, tamen Xenophontem minorem in illis verbis latere existimat, quem ab illo cum avo confusum esse dicit.

2) Beckhausii sententiam de Xenophonte nepote Agesilai scriptore probavit Eversius, Xenophon quomodo Agesilai mores descripserit. 1883. p. 6.

1) Lincke, Xenophons Dialog περὶ οἰκονομίας in seiner ursprüngl. Gestalt. Jena 1879; cf. Schenkl Bursian's Jahresber. 1879, p. 17. *Ipse librum non vidi.*

eius esset, edita et interpolatas dicit[1]). Qui si vera vidissent et Sitzlerus quoque iure suo Hieronem a Xenophonte alienum iudicavisset nec non Krohnius recte septem modo Memorabilium capita ei reliquisset[2]), a Xenophonte nihil praeter Cyropaediam extremi capitis exceptione facta et duo priores Hellenicorum libri prodiisset! Quae is sibi persuadeat, cui talia arrident.

Quae de Xenophontis aetate Beckhausius sibi persuasit, ea refutari non oportet. Cum enim libellum de vectigalibus reiciat (Z. f. Gymnasialw. 1872 p. 225) et Hellenicorum extremos libros a nepote editos putet, Xenophontem eo quo Diogenes tradit a. 360 a. Chr. n. mortuum esse existimat, et cum Ps. Lucianus eum nonagenarium (immo plus nonaginta annos natum!) ex vita discessisse narret (cfr. p. 14), Beckhausius eum a. 449 natum esse censet (l. l. p. 64). Itaque cum quinquagesimum fere annum ageret, Xenophontem cum Timasione imperatorum natu minimum fuisse oporteret!

Mihi igitur Agesilaum a Xenophonte quidem alienum esse constat; quis vero fuerit, qui eum conflavit, ignoro neque fore, ut eius nomen eruatur, existimo.

Epistulas, quae feruntur, Xenophonteas ab eo non prodiisse Bentleius (Briefe d. Phalaris c. XIV p. 549 seq. 557. Ribb.) ita, ut nulla dubitatio relinqueretur, demonstravit. Leguntur ap. Hercherum (Epistologr. Gr. p. 785 seqq.) et Sauppium (ed. t. V p. 286).

Appendiculae.

I. De nominis Grylli forma legitima.

Mirum est, quod de nominis Grylli scribendi ratione et optimi codices manuscripti et Phrynichus et titulus quidam lapidi incisus cum Herodiano pugnant, qui *Π. μονήρους λέξεως* XI 26 haec praecipit: *Τὰ εἰς ος λήγοντα δισύλλαβα βαρύτονα ἔχοντα διττὸν τὸ λ οὐ θέλει εἶναι οὐδέτερα*

1) Hermes XVII p. 325. 279.

2) Krohnius (Socrates u. Xenophon p. 147) genuina putat haec: Mem. I 1; 2 (praeter § 29—48); 3 (praeter § 8—15); III 9; IV 1; 6 (praeter § 1—12); 8, 11 ab *ἐμοὶ μὲν δή* ad finem.

et inter exempla allata Gryllum quoque nomen laudat: *Γρύλλος καθάρας τοὺς Διοσκούρους*[1]), *ὡς Φιλοστέφανος*. Phrynichus contra (Eclog. p. 101) docet: *Γρυλλίζειν διττὴν ἔχει τὴν ἁμαρτίαν· ἔν τε τῇ προφορᾷ διὰ τῶν δύο λλ, ἐν δὲ τῷ σημαινομένῳ ὅτι παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὸ γρυλλίζειν ἐστὶ τιθέμενον ἐπὶ τῆς τῶν συῶν φωνῆς, οἱ δὲ νῦν τάττουσιν ἐπὶ τῶν φορτικῶς ὀρχουμένων. ἐρεῖς οὖν γρυλίζειν καὶ γρυλισμὸς συῶν, οὐ γρυλλισμός* (cfr. Excerpta Phrynichi nomine inscripta apud Bekker. Anecd. I p. 33). Ex quibus colligendum esse videtur, nomen quoque Grylli per unum l scribendum esse (cfr. Suid. s. v.). Atque ea ratione scriptum nomen legitur Pausan. I 3, 4; VIII 9, 5 sqq.; IX 15, 5, ubi duo primae classis codices Paris. 1410 et Angelicanus *Γρῦλον* exhibent (cfr. Schubart et Walz ed. mai. l. l.), id quod in Harpocrationis quoque epitome[2]) s. v. *Γρῦλος* et *Κηφισόδωρος* legitur. *Γρύλον* vero et *Γρύλου* exhibent codices Diodori XVII 40 (cfr. L. Dindorf. Stephan. Thes. s. v.), Arriani Cyneg. I 1[3]), Pausaniae reliqui primae et secundae classis codices, Diogenis L. cod. Neapolitanus Nationalis 253[4]), Pollucis codices optimi (cfr. Dindorf. V p. 984), Harpocrationis cod. Paris. 2552 D, Suidae cod. Paris. A, fortasse quoque codices Aeliani (N. H. VI 25), Herodae iambographi (Bergk, Poet. Lyr. Gr. II 509), Plutarchi (cons. ad Apoll. 33; Brut. anim. rat. titul. et c. V sq.), Ps. Luciani (Macrob. 21), Strabonis (IX 403), ubi editores variae lectionis nullius mentionem faciunt, nec non Arriani (Anab. II 8, 11), cuius optimus codex Venetus nondum collatus est. Confer vero *γρυλίζειν* Ar. Ach. 746, Dio Chrys. or. VII (I 246 R.), *γρυλισμός* Aristot. H. A. IV 9 (p. 535, 17 Bekk.), schol. Ar. Plut. 17, Suid. s. v., Hesych. s. v. — *Γρύλλος* contra in uno quantum video Marciano Athenaei legitur (X 427 f, cfr. VI 245;

---

1) Gryllus Dioscuros post Aphidnas expugnatas an post Apharidas occisos an post castellum Las dirutum lustraverit, non apparet.

2) Epitomen Harpocrationis verba corruptelis minime inquinata praebere notum est (cfr. Dindorf. ed. praef. p. 15).

3) Codicem Palatinum 398, omnium qui inveniuntur Arriani libelli longe optimum *Γρύλου* exhibere Ruehlius in ipsa bibliotheca Palatina vidit.

4) *Cf. p. 28.*

XIII 591 d), nisi forte is quoque Xenophontem *Γρύλου υἱόν* dicit et collatores huius rei velut scribentis erroris commemorationem non fecerunt. — Atque simillimum nomen *Γρυλίων* per unum l. scriptum fuit in titulo Boeotico nunc deperdito (cfr. Lolling, Mitth. d. Ath. Inst. III 86) si accurate lacunam indicavit Urlichsius (Bullett. d. inst. arch. 1838 p. 110): *ΝΙΚΙΩΝΟΣ Γ.ΥΛ.ΩΝΟΣ ΠΛΑΤΑΕΙΟΣ* (cfr. Keil, Inscr. Boeot. X 3 p. 69). Itaque quamquam Herodianum errasse contendere lubricum est, tamen an hac in re Philostephano plus auctoritatis tribuerit, quam tribuere debuit, dubitari potest. — Certe non *Γρύλον*, quam formam et Schubartius in Pausaniae editione minore adoptavit et Benselerus laudat, scribendum esse, sed sive *Γρῦλον* sive *Γρύλλον* ex Herodae fr. 1 Bergk. apparet, qui prima syllaba producta utitur.

II. De Xenophontis matre.

Cum Xenophontis vitam iam confectam putarem, Ruehlius ad Eusebii locum ab omnibus, quantum video, adhuc neglectum animum meum advertit. Leguntur enim apud Schoenium (ed. Euseb. t. II p. 110) ex Armeniaca interpretatione a Petermanno latine versa haec: Ol. 95, 4 (i. e. a. 397/6 a. Chr. n.) Xenophon Grilae et Diodori filius cognoscebatur. — Quae cum Xenophontis patri Gryllo nomen fuisse ex eodem Eusebio et Hieronymus (ad Ol. 95, 1) et Syncellus 490, 4 (cfr. Schoene l. l. p. 110 seq.) tradant et alias satis constet, suspicionem movebant maximam. Quare Grylli Diodorique filiorum Xenophontis nomina an hic laterent, quos eo fere tempore natos esse oportet, aliquamdiu dubitavi, cum a. 397/6 nulla res commemoratione digna Xenophonti, quantum scimus, acciderit. Auxit dubitationem, sed spem quoque attulit Aucherus, qui quae apud Armenium legit, sic vertit: Ol. 95, 4 Xenophon Grylli et Diodorae cognoscebatur. Itaque cum hac in urbe litteras Armeniacas nemo sciret, Ruehlius, studiorum meorum fautor benevo-

1) cfr. p. 28.

lentissimus, ad Paulum de Lagarde, omnium qui nostra aetate litteris Armeniacis operam navant sine dubio doctissimum, litteras misit; qui quae summa cum facilitate rescripsit, ea grato animo cum legentibus communico: „Die in Rede stehenden Worte haben meines Erachtens griechisch gelautet: *Ξενοφῶν Γρύλλου καὶ Διοδώρας ἐγνωρίζετο.* Das Zeitwort ist völlig sicher, ebenso, dass nicht *υἱός* beigefügt stand, denn „oüstẹ“ findet sich (wenigstens meiner Erinnerung nach) in Redensarten wie *Δαρεῖος ὁ τοῦ Υστάσπεω.* Die Flexion der beiden Genetive ist freilich nicht die gewöhnliche, aber soweit kenne ich diese Armenier, um mit gutem Gewissen Auchers „Grylli et Diodorae“ beipflichten zu können.“ Itaque Petermannus erravit, Aucherus recte ea quae Armenius exhibet, latine vertit et Xenophontis mater iam non ignota est[1]). Filiis vero alteri ab avo Gryllo, alteri ab avia Diodoro nomen dedit Xenophon; atque illud quidem saepe ab antiquis Graecis factum esse nemo est, quin sciat et nostra quoque aetate eandem in Graecia consuetudinem servari Curtius Wachsmuthius refert (Das alte Griechenland im neuen p. 77.). Filii ab avia appellati nullum exemplum afferre possum, sed raro hoc factum esse probabile, cum non omnia nomina et masculinam et femininam formam habeant; filiae ab avia denominatae exemplum legitur apud Isaeum III 30 p. 41 (cfr. Hermann, Gr. Privataltertb. ed. Bluemner p. 284, 1). — Diodoro deinde filius fuit, cui fratris avique nomen Gryllo dedit (Diog. II 54; cfr. Plut. Demetr. 2: *Ἀντιγόνῳ*

1) Armenium in quartum a. Ol. 105 transtulisse, quae ad primum eius Olymp. annum vel ad extremum Ol. 104 adscribenda erant, non mirum est, cum spatium eum defecisse videatur. In eundem annum Syncellus 490, 4. Cyri Anabasim transtulit. — Neque quod matris nomen posteritate traditum sit mirandum est, cum Thucydidis quoque mater Hegesipyle commemoretur (Plut. Cimon c. 4), Herodoti vero matris vel duo nomina afferantur, cum Suidas s. v. *Ἡρόδοτος* Dryo, s. v. *Πανύασις* Rhoio eam appellet. Quorum nominum Dryo quidem alias non legi videtur, Rhoio saepius legitur (Diod. V 62. Dionys. Hal. de Din. 11. Tzetz. ad Lyc. Alex. 580. Steph. Byz. s. v. *Μύκονος.*) Itaque non est, cur apud Suid. s. v. *Πανύασις* *Ῥοιώ* corruptum cum Schäfero (Quellenkunde I p. 20.) existimemus.

τοίνυν δυοῖν γενομένων υἱέοιν τὸν μὲν ἐπὶ τἀδελφῷ Δημητρίῳ, τὸν δὲ ἐπὶ τῷ πατρὶ Φίλιππον ὠνόμασεν). Iuvabit stemma Xenophontis domus intellegere:

Gryllus ⏟ Diodora
  |
Xenophon ⏟ Philesia
430—354
  |
Gryllus cc. 397—362 — Diodorus 396?—?
  |
  Gryllus.

Restat Xenophon, Aeschyli adversarius, qui utrum Grylli an Diodori filius fuerit, non constat (cfr. p. 7).

Tabula librorum.

Theses.

1. C. J. A. I 479 lege:

Σῆμα φίλου παιδὸς τόδ' ἰδεῖν Δι[οκλῆς κατ]έθηκεν
Στησίου, ὃν θάνατο[ς δακρυ]όεις καθέχει.

2. Primum cum Carthaginiensibus foedus primo liberae reipublicae anno a Romanis initum est.

3. Temere Bergkius (Poet. Lyr. Gr. II 509) Herodam iambographum Xenophontis aequalem fuisse iudicavit.

4. Nisi in ipsis quaestionibus chronologicis annorum series neque ab urbe condita neque secundum Olympiades computanda est, sed a Christo nato.

5. Nemo philologus, quin historiae antiquae et archaeologi¢ae operam navaverit; contra studium antiquae linguae Germanicae a philologo sine damno neglegitur.